Roscher – De historicae doctrinae apud Sophistas Maiores vestigiis – 1838

DE

HISTORICAE DOCTRINAE

APUD

SOPHISTAS MAIORES VESTIGIIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

PRO SUMMIS PHILOSOPHIAE ARTIUMQUE LIBERALIUM HONORIBUS

IN

ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

RITE OBTINENDIS

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS EXAMINI

SUBMITTIT

GUIL. GEORG. FRID. ROSCHER

HISTORICARUM POLITICARUMQUE LITERARUM STUDIOSUS

HANNOVERANUS.

GOTTINGAE

TYPIS EXPRESSIT OFFICINA DIETERICHIANA.

MDCCCXXXVIII.

Dès à présent je déclare ici, que, si j'ai avancé quelque chose de contraire à la piété, aux bonnes moeurs, à l'écriture sainte, aux sentiments reçus de toute l'église chrétienne, ou en un mot à quelque vérité que ce soit, je le désavoue, et je veux qu'il soit tenu pour non dit.

Hugo Grotius *ed. Barb.*

VIRO

ILLUSTRISSIMO SUMMEQUE VENERANDO

I. G. ERN. FRIDERICO RUPSTEIN

THEOLOGIAE DOCTORI
EVANGELICI MONASTERII LOCCUMENSIS ABBATI
ORDINIS GUELPHORUM EQUITI
REGI HANNOVERAE A SACRIS CONSILIIS
CALEMBERGENSIS PROVINCIAE CONSILIARIO SUPREMO
CETERA

PRAECEPTORI OPTIME DE SE MERITO

EXIGUUM GRATI ANIMI DOCUMENTUM

D. D. D.

AUCTOR.

PRAEFATIO.

Nunquam ego, nisi academiae nostrae severe praeceptum esset legibus, hanc dissertationem meam in lucem prodidissem. Est enim mihi persuasissimum, neminem posse, nisi antea omnes fere antiquorum libros intima cognitione amplexus sit, de ulla antiquae historiae particula satius disputare. Tum vero latina lingua, quamvis adultarum possit sectarum praeceptis optime accommodari, adolescentuli primis lucubrationibus vix dici potest quanto sit impedimento.

Demonstare conatus sum, sophistas in historica doctrina antecessores fuisse Aristotelis. Fructum a me praeberi nondum maturum, equidem minime ignoro. Verum, si nunc scribendum erat, nihil aliud, quae est indolis meae natura, nisi immaturum afferre potui. Quae res facillime in tribus, ni fallor, disputatiunculis apparebit, quas libello meo interposui: adeo ut earum nulla plane

PRAEFATIO.

Nunquam ego, nisi academiae nostrae severe praeceptum esset legibus, hanc dissertationem meam in lucem prodidissem. Est enim mihi persuasissimum, neminem posse, nisi antea omnes fere antiquorum libros intima cognitione amplexus sit, de ulla antiquae historiae particula satius disputare. Tum vero latina lingua, quamvis adultarum possit sectarum praeceptis optime accommodari, adolescentuli primis lucubrationibus vix dici potest quanto sit impedimento.

Demonstare conatus sum, sophistas in historica doctrina antecessores fuisse Aristotelis. Fructum a me praeberi nondum maturum, equidem minime ignoro. Verum, si nunc scribendum erat, nihil aliud, quae est indolis meae natura, nisi immaturum afferre potui. Quae res facillime in tribus, ni fallor, disputatiunculis apparebit, quas libello meo interposui: adeo ut earum nulla plane

sit enuntiatio, quae ipsi mihi suffecerit. Eam igitur rationem explicavi, qua per virilem aetatem et historiam et politicam doctrinam tractandas mihi proposuerim. Quae quidem semina utrum bonos fructus, an malos allatura sint, viri humanissimi, quibus examinandum me offeram, optime profecto diiudicabunt. Quos ego, ut clementer meae et iuventuti et immaturitati indulgeant, quam possnm maxime, oro atque obtestor.

Scripsi pridie Nonas Augusti 1838.

DE

HISTORICAE DOCTRINAE

APUD

SOPHISTAS MAIORES VESTIGIIS.

INTRODUCTIO.

I.

Scriptores sophistarum contemtores.

Sophistarum nomine initio quicunque sapiens appellatus est: quare Herodotus et septemviros illos, sapientiae principes, et Pythagoram sophistas nominat (Clio 29. Melpom. 95.). Attamen idem aliis quibusdam locis iam callida inventa dicit sophismata. Mox vero ad eos tantummodo nomen pertinere coepit, qui oratoriam artem profiterentur; quo factum est, ut apud Isocratem sophistes idem sit, quod rhetor [1]). Etiam Aristophanes sophismata dicit, modo verborum certamina (Ranae 871. 1102. Bekker.), modo artem omnino (Nubb. 206.), maxime quidem, si malum ei insit artificium (Plut. 160. Sophocles Phil. 14. 77.) [2]). Itaque et in astutiis, ubi orator tum parvus esse, tum magnus videatur, et in periuriis verbo *στρέφεσθαι* utitur (Equites 718. 299.). Iam gravior est, qua Socrates in sophistas invehitur, indignatio, quippe qui sui ipsorum eos vocet venditores, eosdemque cum vilibus comparet cinaedis (Xenoph. Mem. I, 2, 6. I, 6, 13.). Sed maximus sophistarum adversarius exsistit Plato, qui in dialogo pulcherrimo, sophistae nomine inscripto, venatores eos declarat iuvenum divitum atque illustrium, doctrinae emtores venditores, verborum quasi gladiatores, veris philosophis tam similes, quam canibus lupi (Soph. p. 223 B. 224 D. Protag. p. 313. Soph.

---

1) Schneider in lexico suo (s. v.) apud Thucydidem III, 38 vult, sophistas appellatos esse oratores, qui populum edocerent; sed falso. Hoc enim loco sophistae iis, qui serio rempublicam in foro tractant, cum magna vi opponuntur.

2) *Σοφοκλῆς τὸν κιθαρῳδὸν σοφιστὴν λέγει.* Soph. Opera Tom. 2. Pars 3. pag. 69. Brunck.

p. 226 A. 231 A. D.). Eosdem dicit et Deos negare, et hominibus, quam possint maxime, nocere; quare in libris, quos de legibus ipse composuit, poena eos mulctari vult gravissima [3]). Unde factum est, ut magna ex Platonis tempore invidia laborarent: adeo ut Demosthenes, si contumeliosissime velit adversarios vexare, sophistas eos appellet [4]). — Hoc tempore prior illa sophistarum schola, cuius principes in Graecia Protagoras, Corax in Sicilia fuerant, defecisse videtur [5]). Est autem communis quaedam totius historiae lex, qua omnes fere res maioris momenti, finito naturali suo nascendi, crescendi, florendi et decrescendi cursu, quum posteritatis oblivione paene exstinctae viderentur, multis annis post quodammodo instaurentur. Cuius rei innumerabilia fere afferri possunt exempla. Itaque Romanorum imperatorum aetate, quum omnes antiquae Graecorum philosophorum scholae, denuo renatae, florem quendam ab arte profectum debiliorem mitterent, ne sophistarum quidem nomen in oblivione remansit. Tunc enim, sicuti Socratis tempore factum erat, rhetores paene omnes sophistae libenter audierunt; maiorumque illorum sophistarum et vitae et opera ab his minoribus diligenter tractata sunt [6]). — Verum tamen optimi Romanorum auctores, imprimis Cicero et Seneca, sophistarum odium, e Platone haustum, retinebant [7]).

3) De legg. X. p. 908 D. XI p. 988 A. Cf. Phaedr. p. 257. Ceterum longius aetate provectus vel Plato videtur humanius de iis iudicium tulisse. Tim. p. 19 E.

4) *Π. παραπρ.* p. 232. cf. Philostr. V. S. p. 483. Xenoph. de re ven. 13. Nihilominus eadem fere aetate Leo sophistes haud exigua gloria fructus est. Philostr. p. 485.

5) Protag. p. 349 A. Protagorae tamen antecessores commemorantur, licet nomina eorum adiecta non sint, in Menone. Gorgias a Philostrato (p. 492.) sophisticae artis pater quasi laudatur: quod magnae tantum rhetoris istius incuriae et negligentiae tribuendum est. De Protagorae aetate cf. Geel *historia critica sophistarum* (in novis actis literariis societ. Rheno-Traiectinae, Tom. II.) p. 69 sqq. De Gorgiae aetate Foss *de Gorgia* p. 8 sqq.

6) In vulgus nota sunt, quae Philostratus, Eunapius, ceteri his de rebus composuerint. Auctoritatis, qua tum sophistae fruerentur, testimonium est L. 6. §. 1. 2. D. de excusatt. (27, 1. Modest.).

7) *Sophistae appellantur ii, qui ostentationis aut quaestus sui causa philosophantur* .... *Sophismata appellantur fallaces conclusiunculae.* Acad. IV, 23 sq.

Qui quum recentioribus temporibus inter omnes antiquitatis scriptores a plurimis legerentur, mala sophistarum fama in nostram aetatem translata est. Primus, ni fallor, WIELAND noster, qui multos et viros et mulieres, veterum invidia notatos, in integrum restituere conatus est, et sophistarum defensionem suscepit, quos Wielandios quasi veteres fuisse credebat. Eodem fere tempore et BARTHELEMY et MEINERS, quum accuratius, quam anteriores viri docti, sophistarum historiam tractarent, iidem paullo minus severam sententiam de iis dixerunt.

II.

Sophistarum apud aequales suos auctoritas.

Tale quum sit scriptorum de maioribus sophistis iudicium, videamus iam, qualem inter ipsos aequales suos auctoritatem habuerint. Ac primum quidem floruerunt maxime Athenis, urbe totius Graeciae in artibus literisque facile regina, dum civitatem Pericles, quem haud inepte dixeris Ὀλύμπιον, eiusque proximi successores administrabant. In arte statuaria principatum obtinebat Phidias cum Alcamene, Agoracrito discipulis et Myrone: gravioris illius et severioris Gratiae, quae in omnibus omnium populorum artibus tempore prior, nec scio an gloria praestantior esse solet, sine dubio principes. Sophoclis, comicorum, summique Aristophanis nomina tantum afferam. Neque vero reliqua Graecia, etsi Athenis inferior, tali capite erat indigna. — His temporibus sophistas omnibus paene rhetoricis adolescentium studiis praefectos fuisse, ex Platone satis constat. Tanta igitur eos circumdabat auditorum corona, ut Protagoras unus plures sapientia sua opes cumularet, quam Phidias decemque alii statuarum artifices [1]). Qui publice de philosophicis rebus sententias suas proferre conabantur, omnes fere vel sophistae erant ipsi, vel sophistarum assectatores (De rep. II. p. 358 C. IV. p. 492 sqq.). Divitis Calliae domum, Hipponici filii, qui maxime propinqua coniunctus erat cum Pericle et Alcibiade affinitate, semper repletam audimus sophistarum certaminibus; quorum etsi mi-

1) Meno p. 91 D.; cf. Hippias Maior p. 281. Ex Protagora notum est, quanta discipulorum multitudo, ex omnibus Graeciae urbibus congregata, in itineribus Protagoram comitata sit: p. 315 A.

nores contemtu quodam tractati esse videntur, principes tamen, velut Protagoras, Prodicus, Hippias, magno honore afficiebantur (Protag. passim. Apolog. Socr. p. 19. Crat. p. 391.). Eadem Gorgiae apud Aleuades erat conditio (Meno p. 70 B.). Prodici amicus, Damo, ipsius Periclis praeceptor fuisse dicitur 2), idemque Niciae filio, qui magistrum quaerebat, a Socrate quam maxime commendatus est (Laches p. 180 D.). Ad ceteros quod attinet, Isocrates Tisia, Gorgia et Prodico, Proxenus imperator Gorgia, Prodico Theramenes praeceptore usus est (Phot. Bibl. Cod. 260. Foss l. l. p. 12. Xen. Anab. II, 6, 16. Schol. Arist. Nubb. 360.). Omitto reliquos, quorum magna fuit multitudo tantusque erga sophistas magistros amor, ut vixdum se continerent, quin eos in capitibus circumferrent 3). — Haud minore apud ipsas civitates auctoritate gaudebant, etiamsi Protagoras Diagorasque propter nimiam doctrinae suae impietatem ab Atheniensibus puniti sunt (Diog. IX. p. 250 C. [Pull.]). Itaque Gorgias, Hippias, alii gravissima civitatium suarum mandata persecuti sunt, maxime legationibus obeundis (Hipp. Maior. p. 281.). Etiam leges correxisse videtur Prodicus patriae suae, Thuriorum Protagoras 4). Quae

2) Alcib. I. p. 118 C., ubi alius quoque sophista, Pythoclides Chius (cf. Prot. p. 316 E.), inter Periclis familiares commemoratur. Plutarchus insulsa prorsus et vix quae refutetur digna tradit narratiuncula, Periclem totos dies cum Protagora trivisse in sophisticarum argutiarum pertractatione: Pericles p. 172. Geel l. l. p. 114. Philostratus quidem (p. 493.), adiuvante Suida, Gorgiam fuisse dicit Periclis praeceptorem: id vero cum notissima illa Diodori chronologia minime congruit: VI, 106.

3) De rep. X. p. 600 D. Ceterum iam eo tempore, quo Platonis dialogus, Gorgiae inscriptus nomine, habitus esse fingitur, nonnulli surrexisse videntur, qui sophistas, tanquam malarum artium doctores, ex urbe depellendos censerent: Gorg. p. 457 C.

4) Plane hoc et bono auctore de Protagora narrat Diogenes (IX. p. 249 F.), scriptor quidem haud ita certus; neque vero errabis fortasse, si convicium illud, quod Aristophanes (Nubb. 331.) in sophistas vertit, *Θουριομάντεις* increpans, huc referas. Sed minime huic opinioni insistam, quum et scholia certioris nihil afferant, et convicium illud facile possit ad vanos homines omnino pertinere, quorum magna copia, Thurios profecta, temere fortunae sese commiserat. Sic de Euthydemo Dionysodoroque sophistis comperimus. Ceterum Geel p. 77. loco Protagorae Pythagoram apud Diogenem legendum proponit.

quum ita essent, non est incredibile, quod Philostratus nuntiat, Gorgiae Delphis statuam positam esse inauratam [5]). Quippe maior est, quo Protagoras et Prodicus affecti sunt honore, quorum alter in patria sua Abderae et σοφία et λόγος nominatus, alter eam auctoritatem consecutus est, ut, si quis sapientissimum virum honorare vellet, Προδίκου eum σοφώτερον esse laudaret [6]).

III.

Minores sophistarum virtutes.

Quid? qui a Socrate Aristophane, Xenophonte Platone, qui a maxima posterorum parte despiciantur tanta indignatione, iidem sophistae apud aequales suos pari gloria fruuntur? Prorsusne obcaecatae erant et civitates illius temporis et hominum multitudo? Mirum hoc et vix credibile visum est iam multis viris doctis, et Spengel imprimis nostra aetate acerrimus sophistarum defensor exstitit. Cuius viri quamvis magna et recondita eruditione nova quasi huic rei sit lux accensa, tamen, ut fieri solet, in defensione sua nimio quodam, ni fallor, studio progressus videtur [1]). — Laudantur eorum in poëtarum interpretationem merita (ibidem p. 59 sqq.); quis est autem, qui negare possit, eos ab Aristophane inter perniciosissimos bonae artis corruptores esse nominatos? Vel apud Platonem, ubi Protagoras ceterique sophistae poëmata explicuerint, nemo est fortasse, qui bene eos haec in poëmata meruisse dicat [2]). Laudatur Siculorum εὐέπεια, Graecorum ὀρθοέπεια sive ὀρθοῤῥημοσύνη (Spengel p. 63.); at vero

---

5) V. S. p. 493. Ceteri auctores apud Fossium laudantur, qui disputationem quoque adiungit, utrum aurea, an inaurata fuerit statua: p. 76 sq.

6) Diog. IX, 51. Welcker in *novo museo Rhenano philologico* Tom. I. p. 14 sqq.

1) Spengel Συναγωγὴ τεχνῶν p. 29 sq. p. 40.

2) Hipp. min. p. 363. Prot. p. 339 sqq. Quales apud Platonem inveniantur sophistarum exercitationes, licet ab ipso philosopho confectae sint, veris sophistarum operibus simillimas esse, ipsa earum forma, ut mihi videtur, luce clarius docet. Quod Athenaeus (XI, 505.) narrat, Gorgiam et Protagoram dialogos, suis nominibus inscriptos, tanquam mendaciorum plenos refellisse, posterioris aetatis inventum esse videtur.

in proverbium venit Gorgiana frigiditas, neque immerito Platonem credo tantopere de Prodici distinctionibus, de Hippiae magniloquentia lusisse [3]). Quae sententia confirmata est et Agathonis oratione in convivio habita, quae Gorgiana diserte nominatur (Conviv. p. 198.), et paucis, quae ad nos Gorgiae sub nomine venerunt, seu revera Gorgiana sunt, seu posterorum imitationes. Ex omnibus denique, quae de sophistis antiqui nobis retulerunt, id videlicet suspicari possumus, primos eos fuisse Graecae loquacitatis nimiaeque subtilitatis auctores [4]). Quae res inde ab eorum Euripidisque tempore usque ad Graecas mediae aetatis Romanenses-fabulas principale erat Graecorum vitium, adeo ut ne in divini quidem Platonis operibus omnia eius prorsus desint vestigia [5]). Verumtamen apud summos optimorum temporum auctores, qui ab Homero usque ad Aristophanem lumina quasi exstant Graecarum literarum, vitium istud neminem profecto offendet. — Sed duae supersunt res, ubi maiore possint et iustiore laude sophistae gloriari. Primum enim et grammaticae et rhetoricae artis principes sunt, ducesque tantae rhetorum multitudinis, quantam nullus alius, ut equidem sciam, populus umquam habuerit [6]). Nam fere omnes, qui ante Demosthenem floruerint, Graecorum oratores et artem rhetoricam conscriptam reliquisse, a Spengelio luculenter demonstratum est. Quod quidem ipsi profecto rerum naturae maxime est consentaneum. Ubique enim eodem tempore, quo apud populum iam valde politum ars quaedam ad magnam absolutionem pervenit, dum *ποιητικοὶ*, ut ita dicam, homines praeclara ipsius artis opera conficiunt, *θεωρητικοὶ* eiusdem artis praecepta in systematis formam re-

---

3) Philostr. p. 492. 501. Prot. p. 337. 340. 341. 358. Laches p. 197. Meno p. 75. Geel p. 52 sqq. Foss p. 52 sqq.

4) *Acuta illa gens et controversa natura:* Cic. Brut. 12.

5) De Euripide cf. Arist. Ran. 825 sqq.; de Platone, quod Wieland profert: *Aristipps Briefe* IV, 4 sqq. Wielandii quidem iudicium magis poëtae videtur hominisque lauti, quam philosophi.

6) Immo vero lexicorum quasi fundamenta Gorgiam egisse, non est incredibile: Geel l. l. p. 33. Qua de re si valde contemtim iudicat Foss (p. IV.), mihi quidem admodum ridiculus videtur. Tot enim rationibus sophistae persimiles erant rhetorum, qui postremis temporibus florebant, ut ne hoc quidem, etsi mirum videatur, nullo prorsus argumento allato, refutari possit.

digunt. Posteriore autem, quam ars ipsa, tempore systemata ad perfecta veniunt: ideoque apud Graecos, quum optimae iam a Pericle Thucydideque conscriberentur orationes, rhetoricae sophistarum aequalium institutiones haud ita praeclarae fuisse videntur. Rhetorica ars ab Aristotele demum prorsus absoluta est. — Cui haud dissimilis politicae artis erat conditio. Etenim Themistoclis, Cimonis, Aristidis, Periclis studiis iam ad summam gloriam Atheniensium civitate perducta, sophistae, imprimis Protagoras, reipublicae bene gubernandae praecepta via rationeque tractare coeperunt, ita quidem, ut posterorum credulitas, Platonis rempublicam ex Protagorae magnam partem compilatam esse, credere posset (Diog. III, 37. 57. Cf. Geel p. 84.). Phaleas et Hippodamus quomodo his de rebus meruerint, in vulgus notum. Itaque vel haec disciplina, posteaquam ipsae res publicae iam ceciderant, ab Aristotele perfecta est. — Sed nondum satis consideravimus, eadem, qua sophistae vixerint, aetate etiam Thucydidem Athenis floruisse. Talis vir nunquam inter aequales suos invenitur solitarius; semper multi sunt, qui cognatione quadam et studiorum et ingeniorum cum illo coniungantur. Itaque iam Spengel praeclare monuit, acuta verborum distinctione Thucydidem Prodico esse simillimum 7). — Equidem insequenti disputatione ostendam, si potero, ne in ipsis quidem indolis historicae fundamentis longe a Thucydide sophistas abfuisse. Principales enim sophistarum sententiae etsi falsissimae sunt per se pessimarumque argumentationum et matres quasi et filiae, tamen veri aliquid in iis inest, quod, recte si percipias, praeclaram tibi historiae intelligendae viam aperiet, falso autem si comprehendas, turpissimarum tibi maximeque perversarum causa erit opinionum. Ubique enim ut quaeque res praestantissima est usui, ita abusui esse solet perniciosissima. Itaque sophistae, quamvis haud spernendam haberent historiae tractandae indolem, adeo ut in medio quasi constituti vide-

7) L. l. p. 53 sqq. Sin vero eidem Spengelio (p. 119.) Thucydides *maximus esse videtur sophistarum defensor*, haud scio, an ipsa Clio, ita rodi filium suum praestantissimum, tolerare possit. — Ceterum Thucydides Gorgiae auditor fuisse traditur: Föss p. 22.; quare Dionysius Thucydideam sermonem cum Gorgiano comparat. Ibid. p. 50.

rentur inter historicum et philosophum 8), propter multas tamen, quas postea enarrabo, causas ingeniorum suorum miserabilem quendam interitum non effugerunt: Ναρθηκοφόροι μὲν πολλοί, βάκχοι δέ γε παῦροι. — Ceterum quod a Platone, Aristophane, aliis haec sophistarum indoles prorsus neglecta sit, mirum videatur nemini. Quippe difficilium rerum una omnium longe est difficillima, si quis recte velit eam aetatem diiudicare, quae suam ipsius proxime est et secuta et antegressa.

IV.

Utrum secta fuerit sophistarum, necne.

Priusquam autem ad hanc disputationem propius accedamus, iam inquirendum est, quatenus, quae alterius sophistae commemoretur sententia, eandem alteri quoque comprobatam dicere possimus. Quae grammatici et lexicographi de singulis singulorum sophistarum praeceptoribus tradunt, quum partim valde incerta sunt, tum maxima quoque confusione laborant. Certa quaedam sectae continuatio apud Siculos tantum fuisse videtur, ubi Corax Tisiae, Gorgiae Tisias, ceterorum, imprimis Poli, Gorgias praeceptor traditur. Gorgiae etiam Callicles eiusque studiorum socii videntur discipuli (Gorg p. 487 C.). At vero ceteri Graeciae ipsius sophistae, quorum et plurimi, et celeberrimi ex Thraciae insularumque coloniis orti sunt 1), vix ullum praeceptorem suum agnoverunt. Quod nescio an ex antecedenti iam tempore explicandum sit. Etenim Siculi isti, quum ex Eleatium, firmissimo scholae vinculo coniunctorum, disciplina prodirent, facile poterant simili vinculo contineri. Longe alia vero res erat Graecorum, quibus pater quasi Heraclitus, mater Democritus appellandus est.

---

8) Ipse Prodicus, sophistas inter philosophum civitatisque administratorem quasi confines esse, dixit: Euth. p. 305 C. Ceteroquin Prodicum constat, neglectis physicis auscultationibus, ethicis politicisque maxime operam dedisse. Hippias contrariam fere viam ingressus est (Hipp. Maior. p. 285. Protag. p. 318.); licet idem, cuius Ὀλυμπιονικῶν ἀναγραφή memoratur a Plutarcho (Geel p. 191.), de chronologia bene meruisse videatur.

1) Communis fere totius historiae lex est, ut omnes et civitatium et morum commutationes prius in coloniis, quam in patriis terris intercedant. Quod et ipsum in Graecis sophistis intelligi licet.

Ionica omnino philosophia laxiorem sectae coniunctionem habuerat, et maxime inter Heracliteos nunquam alter alterius erat discipulus, sed sua quisque sponte philosophus exsistebat, *undecunque contingeret eorum aliquem furore corripi* (Theaet. p. 180 B.). Omnino homines, qui tanta flagrabant et arrogantia et pecuniae aviditate, quum saepissime inter se certarent necesse esset, perpetua vivere non poterant concordia. Itaque multae narrantur astutiae, quibus discipuli sophistae praeceptores minervali defraudaverint [2]). Discrepantes sophistarum de arte rhetorica libri a Platone commemorantur (Phaedr. p. 266 sqq.). Prodicum, quia Herculis panegyricum dixerit, plenum virtutis laudibus exhortationibusque ad vitam honeste agendam, a Gorgia tanquam obsoletae sapientiae praedicatorem perstrictum esse, accepimus (Philostr. p. 483.). Quamquam ceteros homines prae se ipsis suisque sociis despexisse, et se invicem blandioribus verbis allocuti esse videntur [3]), tamen nota est salsa Herodici de sociis nonnullis cavillatio [4]), et ostentatio, qua coram altero alter auditorum suorum frequentia gloriaretur (Prot. p. 317 C.). Discrepabant etiam in eorum, quae docenda quisque sibi proponeret, professione. Itaque Protagoras et domus et civitatis recte gubernandae praecepta tradere; Hippias arithmeticam, geometriam, astronomiam, musicam profiteri; Gorgias, modestia quadam commotus, non virtutis, sed oratoriae tantum artis se magistrum esse, dicere; Euthydemus con-

2) Eadem narratiuncula et de Protagora fertur (Gell. N. A. V, 10.), et de Corace (Sext. Emp. A. M. p. 81. SPENGEL l. l. p. 26.). Etiamsi tota esset ficta, tamen argumentum esset magnae, qua sophistae invicem se tractabant, amicitiae gratique eorum erga praeceptores animi. Nihil enim prorsus inane a posteris credi solet.

3) Sophistarum alterum alteri σοφοῦ nomen tribuere solitum esse, ex Platone constat. Quae appellatio, per ridiculum accepta, quum transiisset in communis vitae usum, vel Euripides apud comicum eodem nomine Aeschylum adornavit: Ran. 1152.

4) Arist. Rhet. II, 23 extr. Ceterum SPENGEL pro Ἡρόδικος legi vult Πρόδικος, cui magna assentitur WELCKERI auctoritas. Acuta illa quidem coniectura, sed parum, ut mihi videtur, necessaria. Non meminerunt fortasse viri docti, Herodicum Selymbrianum sophistam et celeberrimum fuisse, et Thrasymachi Polique aequalem. Prot. p. 316 E. Alius quoque Herodici, Gorgiae fratris, apud Platonem mentio fit: Gorg. p. 448 B.

tra ac Dionysodorus, ad virtutem se adolescentulis viam demonstraturos, diserte gloriari (Prot. p. 318 D. Meno p. 95. Euth. p. 274. Xen. Mem. III, 1.). Notaeque sunt mutuae obtrectationes, quibus alter alterum, ut discipulos ab eo devocaret, calumniari solebat: adeo ut Gorgiae discipulus, Callicles, eos, qui ad virtutem se esse dicerent adolescentium ductores, nullius pretii homines appellaret (Gorg. p. 520 A. Cf. Prot. p. 318 D.). Immo vero Critias, quem et ipsum haud immerito sophistam vocaveris, quum triginta virorum tempore Athenarum urbi iniustissime praeesset, anteriorum studiorum adeo non meminit, ut omnem rhetoricae institutionem lege vetaret (Xen. Mem. I, 2, 31.). — Neque vero mutuis tantum se invicem inimicitiis corrodebant, sed ipsi etiam, quocunque eos ferret disputationis progressus, modo hoc, modo contrarium proferebant. Quare cum Proteo Aegyptiaco Plato eos comparat, qui, commutata semper forma, persecutores suos effugiat; idemque hydrae eos persimiles esse dicit, cuius si unum caput demetatur, novum usque ex collo prosiliat. Saepius bestiae callidae captuque difficilis imagine a Platone vexantur [5]. Cuius sophistarum inconstantiae sexcenta afferri licet exempla. Sic apud Platonem sua sponte Protagoras, neminem posse iniuste agendo recte sapere, profitetur, et bona quaedam esse, etiamsi utilia hominibus non sint. Idem neque iucunda omnia bona esse, neque tristia omnia mala, concedit, et sapientiam sibi videri humanarum rerum praestantissimam. Tum vero etiam, et errorem esse et veritatem, non negat (Prot. p. 333 C. E. p. 351 D. p. 352 D. E.). Polus, ubi de Archelao loquitur, Macedonum quasi tyranno, sub iustitiae iniustitiaeque vocibus prorsus eandem sententiam subiicit, quam in usitato sermonis genere habent. Callicli, quamvis acerrimus sit iuris fortioris sive iniustitiae defensor, immane tamen nefandumque videtur, si peior quis et fortior honestiorem occiderit (Gorg. p. 470 D. p. 511 B.). Omnium vero ea est maxima sophistarum inconstantia, qua tum cuiusque rei hominem esse dixerunt mensuram, seu veram rei cognitionem neque inveniri posse, nec, si inventa esset, cum aliis communicari; tum vero, se ipsos unum-

---

5) Euth. p. 288. 297. Schleiermacheri *Introd. ad Sophistam*. Tom. II. Pars 2. p. 126.

quemque sapientia imbuturos esse, polliciti sunt. — Sunt tamen principia quaedam, sophisticae doctrinae fundamenta, quae tam arcto inter se cohaereant vinculo, ut, qui aliud amplectitur, aliud respuere nullo modo possit. Itaque etsi de Hippia ceterorumque multis certiora habemus pauca; etsi Prodicus a Welckero maxima sophisticae malignitatis parte liberatus est (Welcker l. l.): Gorgias certe, Protagoras eorumque familiae supersunt, quibus omnia, quae *σοφίσματα* appellantur, optimo iure erint tribuenda.

V.

Euripidis semisophistae inconstantia.

Eadem fere de Euripide dici possunt, tragico poëta, semisophista. Cui viro quanta cum sophistis fuerit similitudo, luce clarius ex Aristophane intelligitur, qui sexcenties, pari eos fuisse ingenio, affirmat. Ideoque adolescentuli, sophistarum corrupti institutione, Euripidem venerantur ut poëtarum facile principem [1]). Ad inferos quum descendisset Euripides, a nequissimis statim hominibus, quippe qui antilogiis eius et verborum depravationibus quam maxime delectarentur, sapientissimus collaudatus est (Ranae 770 sqq.). Idem, ubi de utilitate carminum suorum disserit, ea profert, ut Protagoram loquentem audire tibi videaris [2]). Itaque posteriorum temporum est sermo, a Protagora famosum istum, qui postea crematus est Atheniensium iussu, libellum primo in Euripidis domo recitatum esse (Diog. IX, p. 250 F.). — Quaenam Euripidis fuerint sophisticae de natura Deorum sententiae, quaenam de iuris iurandi religione, quaenam de multis aliis rebus eodem fere pertinentibus, in vulgus notum est. Alia vero adiiciam. Ac primum quidem dialogorum apud Euripidem ratio nobis offertur, quae adeo composita est ex alternis sophistarum sermonibus, ut omnes fere Euripidei homines sophistae

1) Nubb. 1353 sqq. Nec fortasse quod commemoretur indignum est, apud Aristophanem eodem rhythmo Aeschylum praeclare incedere, quo *δίκαιος λόγος* utatur; Euripidem contra easdem cum iniusto oratore versuum formas anteponere: Nubb. 948 sqq. Ranae 1004 sqq. — Nubb. 1019 sqq. Ranae 905 sqq.

2) Ibid. 1007: *Δεξιότητος καὶ νουθεσίας, ὅτι βελτίους τε ποιοῦμεν Τοὺς ἀνθρώπους ἐν ταῖς πόλεσιν.*

esse videantur. Omnis eorum actio (*Handlung*) saepe non in rebus, sed in verbis verborumque implicationibus consistit. Quae res maxime in Andromacha elucet; tum vero etiam in Alcesti (625 sqq.), in Supplicibus (401 sqq.); neque ulla fere est fabula, vel inter primas tempore et ultimas, — quae quidem optimae iudicandae sunt — quin talium sophismatum plena inveniatur [3]). Gravius etiam commovearis vano illo *γλώσσης ψόφῳ* (Herc. fur. 228), qui in colloquio inest inter Electram et Clytaemnestram habito, ubi moderata, immo vero comis sermonis ratio finem tragoediae vere horrendum reddit (Electra 1011 sqq.). Disertis verbis poëta declarat, longas brevioribus et meliores esse et clariores orationes; ac saepe, ullam rem, nisi verbis, perfici posse, negat [4]). — Controversiae nonnullae, in quibus agendis multum pulveris sophistae excitare solebant, magna diligentia in Eteoclis sermone ab Euripide attinguntur: quae oratio, ut infra apparebit, persimilis est Meliarum apud Thucydidem actionum [5]). Sophisticam denique scholam prorsus redolet Euripides, quum Clytaemnestram studet defendere; quum Helenam tum in coelum laudibus effert (Helena), tum gravissima afficit contumelia (Orestes. Troades); quum quodcunque nefas [6]), antequam commissum est, magna verborum copia excusare conatur; quum omnino, quae maioribus suis praeclara videbantur, quacunque potest ratione detrectat [7]). — Attamen idem Euripides sibi ipse adeo non est consentaneus, ut voces iactet nonnullas, quae acerrimi sophistarum inimici esse videantur. Saepius in verborum captatores invehitur (Suppl. 896. Hipp. 79. 491. 510. 997. Medea 580.), quamvis ipse eo-

---

3) In Helena 403 sqq. tota orationum altercatio ab ipsis Atheniensium iudiciis capta esse videtur. Cf. Arist. Pax 535.

4) Orest. 633. Suppl. 114. Phoen. 526: *Πᾶν γὰρ ἐξαιρεῖ λόγος.* Cf. Arist. Ran. 946. Itaque apud comicum Euripides tanquam Deos implorat: *Αἰθήρ, ἐμὸν βόσκημα, καὶ γλώττης στρόφιγξ, καὶ ξύνεσι, καὶ μυκτῆρες ὀσφραντήριοι κ. τ. λ.* Ran. 890. Etiam Gorgias (?) in Helenae laudatione summopere humani sermonis laudes extollit.

5) Phoen. 509 sqq. Cum theologica Meliarum actionum parte comparanda sunt, quae in Ione 454 sqq. Herc. fur. 1318 sqq. afferuntur.

6) Quod quidem maxime fit in Ione.

7) Sic de Heroum fortitudine, qua belluas occiderint, multis locis detrahere studet; veluti Herc. fur. 155 sqq. Suppl. 318.

dem crimine non sit liberandus; occulte eos vituperat, qui altiorem sapientiae gradum assecuti sint, quam ut humane sentire pergant (Electra 296 sqq. 386 sqq.). De iure sententiam profitetur sophisticae plane contrariam in Helena; et in Bacchabus, quam extremo vitae suae tempore conscripsit fabulam, disertis verbis, maiorum inveterata iura naturalia esse, defendit [8]). Immo vero sophistarum de iure sententias Polyphemo suo attribuit, quem ipse, dum ceteri (Plato De legg. III, p. 680. B. Arist. Pol. 1, 1, 7. [Schn.]) revera apud Cyclopes statum, qui vocatur, naturalem inveniri censebant, ut barbarum describit immanissimum. Bonos, licet diu videantur infeliciores, semper tandem superiores evasuros esse, in Ione saepenumero legitur. Ingens denique odium, quo caduceatores legatosque persequitur, haud inepte dicas, a sophistis, qui tum legationum munera obire solebant, Euripidi excitatum esse [9]).

VI.

Prospectus.

Iam ad ipsum venio disputationis meae propositum. Primum erit demonstrandum, in magnis sophistarum erroribus granum aliquod veritatis inesse, quod, si recte accipias, totam historiam praeclare possit illustrare. Quod ut efficiam, a minore ad maius tribus sectionibus progrediar, primo de iure fortioris ex Calliclis, Thrasymachi, aliorum doctrina, tum de Protagorae dicto, quo, omnium rerum mensuram esse hominem, docuerit, postremo tandem de perpetuo rerum flumine pauca allaturus. Tum vero causas quasdam indicabo, unde factum sit, ut verae illae sententiae in tantos tamque detestabiles errores a sophistis perversae sint. Ne quem autem taedeat apud sophistas quaerendae veritatis, semper in animo habeamus egregium illud Platonis: Nunquam considerandum esse, quis dixerit, sed utrum recte, an falso dictum sit (Charm. p. 161. C. Heerenii *Ideen* Tom. III, p. 442 sqq.).

---

8) Helena 912 sqq. Bacchae 890 sqq. .... τό τ' ἐν χρόνῳ μακρῷ νόμιμον ἀεὶ φύσει τὸ πεφυκός.

9) De iis rebus, quibus a Prodico Euripides dissenserit, videas Welckerum l. l. p. 622.

DE IURE FORTIORIS.

VII.

Sophistarum de iure sententiae.

Sophistarum de iuris natura hae fere traduntur sententiae. Ac primum quidem Callicles docet, Gorgiae discipulus, plerumque sibi contraria esse naturae ius et leges [1]; quum natura sit malorum finis τὸ ἀδικεῖσθαι, legibus vero τὸ ἀδικεῖν. Leges quidem a debilioribus esse, ut secure ipsi vivere possint, constitutas; et a multitudine, quippe quae ex debilioribus constet, legum praecepta iusta nominari [2]. Verum naturae consentaneum esse, ut fortior dominetur, idemque et ex ceterorum animalium conditione, et ex Deorum republica intelligi posse (Gorg. p. 482. E. sqq. Cf. De rep. II, p. 358. E.). — Tum vero Thrasymachus, nihil iustum esse, vult, nisi quod prosit fortiori. Quam sententiam eo defendit, quod ubique fortiores, quum in republica dominentur, iidem leges ferant, suae utilitati quam maxime adaptatas (De rep. I, p. 338. C.). Atque communis fere sophistarum est doctrina, nullum prorsus esse naturae ius, sed leges tantummodo, quae tam diu iustae sint, quamdiu valeant (De legg. X, p. 889. E.). — Eadem fere sententia, ius μὴ φύσει esse, ἀλλὰ νόμῳ, iam Archelao placuerat Ionico, eadem Pyrrhoni et Timoni scepticis, eadem Carneadi [3]; immo vero pius Montaigne, ius natura non esse, sed educatione tantum et consuetudine natum, credebat. Hobbesii fortioris defensio in vulgus nota est, itemque Spinozae de hac re disputatio. — Qui naturae non esse, sed legum modo et consuetudinis ius docent, iam ea quaestione perturbandi videntur, unde factum sit, ut leges illae valere omnino potuerint. Etenim si leges debiliorum causa latae sunt et fortiorum detrimento, cur, quaeso, fortiores eas aut ferri aut permanere siverunt? Tum vero, si educatione semper vulgares de iure sententiae a patre in filium transferuntur, qui factam esse, dices, mehercle! primam earum originem? — At vero

---

1) Cf. Hippiam apud Plat. Prot. p. 337.

2) Ideoque Lycophro sophista, legem foedus aliquod esse, dicit, quo, iura inter cives servatum iri, despondeatur: Arist. Pol. III, 5, 9.

3) Ritter *Geschichte der Philosophie* Tom. I. p. 332. Tom. III. p. 482. 671.

si diligentius sophistici argumenti vim perscrutamur, statim videbimus, qui rem aliquam, vel a se vel ab alio gestam, eo, quod a fortiore gesta sit, excusare et iustam dicere conetur, intimo pectore eum sentire quidem iniustitiam suam, verum speciosa argumentatione hunc iniusti sensum hebetare. Rei enim iustitia et virium magnitudo notiones sunt, ut logicorum vocabulo utar, plane disparatae. Quare luce clarius secum ipse sophista repugnat, qui, minorem causam maiorem redditurum se esse, pollicetur. His ipsis enim verbis, suam causam revera esse iniustam, occulte confitetur [4]). Itaque sophistae, quoties de iure dissererent, semper, ut Eurycles ventriloquus (Soph. p. 252. C.), adversarium secum ferebant intus submurmurantem. Argumentis igitur si quis in angustias eos adduceret, facile poterant iustitiam nominare generosam quandam dementiam, iniustitiam vero bonum et prudens quoddam consilium (De rep. I, 348. C.). Ideoque bonum honestumque turpe, turpe honestum esse, ex eorum ore poterat excidere [5]); quin etiam ad eam usque impudentiam adducendi erant, ut omnino ius esse negarent [6]). Quae res qui fieri potuerit, fusius infra demonstrabitur.

VIII.

Thucydidis de iure sententia.

Accuratius igitur qui haec de iure sophismata considerat, aut falsa ea, aut omnino ius nullum esse, oportet confiteatur. Quaenam est autem in hoc errore occulta quasi veritas? Hac de re interrogemus Thucydidem, haud scio an uberrimum, unde humana sapientia hauriatur, fontem. — Atheniensium legati, quum Spartae postremo studerent, bellum, quod instabat, disti-

4) Quod iam Aristoteles dixisse videtur: Rhet. II, 24 extr. Ceterum idem (*ἥττονα κρείσσονα ποιεῖν*) tanquam proprium sui munus, inde a Corace usque ad Anaximenis (?) rhetoricam ad Alexandrum omnes fere rhetores docendum susceperunt.

5) De rep. I. p. 344. C. Arist. Nubb. 1007 sqq.: *Καὶ σ' ἀναπείσει, Τὸ μὲν αἰσχρὸν ἅπαν καλὸν ἡγεῖσθαι, Τὸ καλὸν δ' αἰσχρόν.* Quis est, cui in mentem non veniat, apud Shakspearium furias illas infernas idem fere dictum in ore habere: *Fair is foul and foul is fair.* Idem Iesaias tanquam symbolum quoddam scleratorum exsecratur: V, 20.

6) Nubb. 891: *Οὐδὲ γὰρ εἶναι πάνυ φημὶ δίκην.*

nere, haec fere locuti sunt (I, 76.). Persis devictis, principatum ipsis quodammodo oblatum esse. Tum vero nemini videretur mirum, neve inter homines insolitum, si imperium et accepissent, et acceptum retinuissent, summis rebus commoti, et honore, et metu, et utilitate. Nec se ipsos, qui talia egissent, primos fuisse; verum semper ita constitutum esse, ut imbecillior fortiori obediret. Quae res neminisdum eo usque in offensionem cecidisset; tum primo Lacedaemonios, quum ipsorum utilitati prospicerent, iustitiae vocabulo (δικαίῳ λόγῳ) uti, quo tamen neminem audiissent impeditum esse, quominus, si potuisset, potentiam suam amplificasset. — Cuius iudicii finis hic est: Ἐπαινεῖσθαί τε ἄξιοι οἵτινες χρησάμενοι τῇ ἀνθρωπείᾳ φύσει, ὥστε ἑτέρων ἄρχειν, δικαιότεροι ἢ κατὰ τὴν ὑπάρχουσαν δύναμιν γεγένηνται. Eadem fere est Hermocratis, quam in oratione, apud Siculos habita, Gelae congregatos, profert sententiam (IV, 61.): Atheniensibus quidem facile, quod maiores usque res moliantur, veniam concedo, neque vero eos vitupero, qui dominari conantur, sed eos, qui ad serviendum vel promtiores sunt. Natura enim humanum genus, quaecunque cedunt, imperat omnibus, idemque aggressores repulsat. — Utraque haec sententia, etsi ab oratoribus prolata fingitur, tamen sine dubio ipsius est historici. Nunquam enim Atheniensibus, si vel minimum habebant pacis continuandae studium, talia dicenda erant; et cur Hermocrates communis hostis consilia tali diligentia excusaverit, equidem prorsus non video. Vix dubito, quin revera Atheniensibus quam potuerit maximam conflare studuerit invidiam. — Sed longe maiore et ubertate et gravitate iudicium suum Thucydides pronuntiat in actionum illa, quas Athenienses cum Meliis habuerunt, praeclara narratione [1]). Quae historiae suae particula, quamvis rem gestam contineat, quae magna diligentia consideretur vix dignam, ipsi tamen historico maximae patet curae fuisse: quod intelligi licet et ex magna narrationis copia, et ex ipsa sermonis forma. Alias enim dum magnas semper componit orationes, invicem

1) Thuc. V, 84—114. Cur Meliorum potissimum expugnationem elegerit historicus, cui describendae tantas tamque graves insereret considerationes, hic quidem exponere, longum est. Cuius enim rei si causam perspicere vellet lector, in intimam quasi Thucydidei operis compositionem esset introducendus.

sibi respondentes, hoc loco alternis vocibus dialogum construxit, quarum brevitas intellectu esset facilior. Unde videre possis, eas sententias, quae hoc loco continerentur, Thucydidem quam posset clarissime exponere voluisse. Iam in ipso dialogi principio omnes de pietate, qua coloniae sit metropolis veneranda, sermones, nec non omnis de laudibus in Persico bello comparatis gloriatio 2) tanquam inania verba reiiciuntur. Athenienses se bene scire declarant, iustitiam ex hominum sententia nonnisi inter pares inveniri, fortiorem autem facere, debiliorem pati, quaecunque fieri possint (89.). Ceterum, tale quum agant, nihil iniusti se agere, putant, nihil, quod Deos possit infensos sibi reddere. Etenim Deorum, inquiunt, credimus, hominum luce clarius intelligimus quemcunque, naturali quadam necessitate ductum, omnia regere ipso inferiora. Quam vero legem neque nos tulimus, neque lata primi usi sumus, sed valentem amplexati, valituramque in aeternum tempus relicturi, lege illa utimur, haud ignorantes, qui eandem atque nos potentiam nacturi sint, idem eos quoque facturos esse (105.). — Dicat fortasse quispiam, haec atque talia iudicia non ex ipso Thucydidis animo profluxisse, sed eo tantum consilio ab historico prolata esse, ut corrupti aequalium suorum mores luculentius ante oculos nobis ponerentur 3). Quod si hac quidem disputatione mea prorsus refutare vellem, disquisitione mihi opus esset maxime fusa. Eam, si Deus incepto favebit, uno minimum lustro post in maiore de antiquis historicis opere virorum doctorum examini subiiciam. Hoc loco id tantum dicere possum, ingenium illud, quo et legatorum ista oratio et cum Meliis institutae actiones profectae videantur, non esse corruptae tantum Athenarum civitati, sed florenti sub Periclis administratione reipublicae prorsus consentaneum. Quae quum ita sint, Thucydides, summus et laudator et conservator priscae illius Periclei temporis praestantiae, longe abfuit, ut talia instituta reprehenderet. Hermocratis vero, quam supra laudavi,

2) Qua tamen de re alio tempore innumerabilia verba Athenienses facere solebant: Thuc. I, 73 sqq. II, 71. III, 54 sqq.

3) Scilicet eodem modo, quo apud Thucydidem nobis offerantur, revera locutos fuisse Atheniensium legatos, nemo, ut mihi videtur, credere potest.

sententia nullo modo explicari potest, quasi ad mores describendos a Thucydide profecta 4).

IX.

Factionum de iure controversiae.

At vero inter omnes civitatium convertendarum factiones eae tantum ad ipsam rem publicam vim graviorem habent, quae novo iure ipsas volunt civium vitas gubernari. Etenim merae principum optimatiumque de imperio discordiae, si illo quasi fundamento carent, civitatem ipsam fere intactam relinquunt, quamvis, donec seditionis fortuna diiudicata sit, haud exigue vitam possint conturbare. Illas autem verarum factionum discordias, facile intelliges, Ictorum argumentis nunquam posse componi. Namque his tantum deciditur, res, cuius quaestio est, utrum valentibus legibus consentanea sit, necne. Factio autem, quae novas res molitur, esse leges, facile concedit, iustas esse, negare solet. Discrepantes igitur quum contrariis nitantur cognoscendi initiis, neuter ab altero nec refutari potest, nec convinci. — Quae quum ita sint, unicuique, tanquam intestinus iudex et (ut barbare loquar) non appellabilis, magna vis inest conscientiae. Atque ita comparata est humani generis natura, ut, quum pauci sint, qui, ab omni cupiditate remoti, solam virtutem sequantur, tum etiam pauci, qui, nihil plane alterius causa facientes, suis tantum commodis omnia metiantur. Sic plurimi, quum ordinis sui defendant beneficia et commoda, antiquum ius et pia maiorum instituta defendere sibi videntur; plurimi contra, qui novas res moliuntur, meliorem se effecturos esse credunt civitatis conditionem, etsi correctae reipublicae fructibus et ipsi gaudere minime dedignantur. Magna quidem semper et fuit eorum et futura est multitudo, qui sua tantum commoda publicae salutis praescriptione tegant. Quodsi quis ex intimi animi sententia iuste

4) Longe alia res est, si apud plurimos et antiquitatis et recentiorum temporum historicos de iure fortioris sententiae reperiuntur. Itaque quod Tacitus dicit (Germ. 36.), *inter impotentes et validos falso quiesci, et ubi manu agatur, modestiam ac probitatem nomina superioris esse,* nihil videtur, nisi gravis quaedam ac subtristis humanae pravitatis accusatio.

se arbitratur egisse, is revera iustus appellandus est. Alia autem re si hominum mores velis metiri, equidem timeo, ne, quae ipse sentias, necessarias esse totius generis humani sententias affirmes, philosophica quadam deceptus arrogantia. Iam ab Hugone nostro acutissime observatum est (*Ius naturae* p. 9. Ed. 1819.), in recentioribus iuris quod vocant naturalis systematis ea semper contineri, quae in ipsa nostra patria atque aetate legibus vel consuetudine firmata essent. Quod de recentioribus observat Hugo, ad omnes paene referre potuit, quorum plurimi, ut Baco ait, *tanquam e vinculis sermocinantur.* Ex magna, quam huc suggerere possum exemplorum copia, tamen, ne longus sim, pauca tantum inferiore loco afferam (Cap. 15 sqq. Cap. 28.). — Ex quo Domini nostri ac Redemtoris Iesu Christi vitam et res gestas cognovimus, commune omnibus est exemplar propositum, cuius similitudine, rectene quis egerit, annon, certo potest diiudicari. Qua tamen norma, licet aliter loquantur theologi, in publicis rebus perpauca tantum existimanda sunt. Quis est enim, ut recentissimi temporis res gestas proponam, qui Britannorum inter reformatores et conservatores dissensionem argumentis ex Domini vita haustis possit componere; vel magnam illam decidere controversiam, qua inter hostes minorum personarum universitatum[1]) protectoresque facta, iam per tot annos Europa conturbata est? Quibus in rebus utraque pars sacrorum librorum implorare auxilium conata est: utraque eodem iure[2]). — Tum vero historiam diligenter perscrutatus, qui, magnas rerum publicarum conversiones non singulorum fieri licentia, cognoverit, sed naturali quadam necessitate sive Dei ipsius legibus: is profecto in talibus rebus iudicium, iustene quis, an iniuste egerit, ipsi cuiusque conscientiae, tanquam iudici uni competenti, facile committet.

X.

Ius fortioris.

Atque in his ipsis rebus fortioris ius quodammodo inesse, minime negandum est. Etenim quisque populus et ipsius po-

1) Velut monasteria, urbes, provinciarum ordines, opificum societates et alia eiusmodi permulta.

2) Cf. Algernon Sidney *Discourses* III, 10.

puli quisque ordo, quaeque reipublicae gubernandae ratio tamdiu imperium tenet, quamdiu, potentia superior, tenere potest. Quae potentia quum imminui coeperit, alio vel populo, vel ordine, vel ratione indies crescente, contrariae tum partes certamen ineunt, ex quo nova semper, licet initio devicta saepius videatur, tandem aliquando superior discedit. Atque ea semper pars, quae summam rerum obtinet, quousque nullusdum adversarius exstiterit, et a se ipsa et a ceteris iusto dominationis titulo uti existimatur [1]). Cuius existimationis potentia illa pariter causa est atque effectus, adeo ut altera vix possit iudicio ab altera separari. Subnascentibus deinde adversariis, eodem tempore hominum quoque iudicia in diversum discedunt: neque vero dicendum est, utrum opiniones hae, an illae res gestae commutationis causae sint principales. Res novae autem quando pervicerunt tandem, una cum iis homines quoque eo iam adducti sunt, ut iuste eas fieri arbitrentur [2]). Itaque, ut Germaniae tantum historiam attingam, Ferdinandus II. imperator, si contra principes talem instaurare voluisset imperatoriam potestatem, qualem Henricus I. contradicente nemine, Fridericus I. iam multis dubitantibus habuerat, non solum omnium fere aequalium suorum consensu tyrannus vocatus esset, sed ipse quoque, nisi forte, pro ecclesia haec sibi agenda esse, existimasset, magno conscientiae an-

---

1) Cf. Thucyd. I, 71. ἀνάγκη δ᾽ ὥσπερ τέχνης ἀεὶ τὰ ἐπιγιγνόμενα κρατεῖν; et praeclaram Aristotelis argumentationem: Pol. V, 1.

2) Facile quisquis intelliget, mea sententia, modo exposita, quatenus consimilis sit notissimae Rehbergii nostri, qua, ullam pactionem in aeternum tempus confici posse, negat. — Ceterum vel recentissimo tempore novum sophistarum genus dicere conatum est, omnem civitatis conversionem, si prospere succedat, eo ipso iustam fieri, quippe qua re demonstratum sit, revolutionem populo fuisse necessariam. Quae quidem sententia, etiamsi eadem fere historica nititur observatione, tamen a meo iudicio quam maxime diversa est. Equidem observari tantummodo volui, diversis temporibus diversas hominum de iure esse sententias: quare quae plurimis gravissimisque hominibus iusta videantur, eadem revera quoque potentiora esse soleant. Sophistes contra ex disparata potentiae notione disparatam iustitiae deducit. Neque vero ullus vel populus vel ordo iuste potest omnia, quae necessaria sibi sint, perficere. Etiam necessitatis et iuris disparatae esse videntur notiones.

gore esset agitatus. — Lutheri tempore, ut ipsius viri epistolae docent, servorum colonorum seditio haud dubie iniusta et scelerata videbatur; hodie ipsa servitus iniusta esse videtur, sicut Caroli Magni aetate summum fuisset facinus, si quis liberos pagorum incolas in servitutem vindicare conatus esset. Thomasius contra, cuius tempore multi erant in ipsa Germania glebae adscripti, alios homines, arbitratus est, iure liberos nasci, alios servos. Vel severior est Oldendorpii sententia, qui servitutem ex quarto decalogi praecepto deducit: nimirum cuius aetate vel revera servitutis iugum erat severius. — Recentiorum temporum Ictis ipsi naturae consentaneum esse, argumentoque vix indigere videtur, nullam aut oriri posse aut permanere personarum universitatem, nisi quam reipublicae magistratus suo assensu comprobaverint. Eadem Romanorum erat posterioribus reipublicae temporibus sententia (L. 1 pr. D. III, 4. Gaius. D. XLVII, 22.). Verum priore aetate, ubi corpora erant potentissima, adeo ut vim possent vi repellere et civitates paene in ipsa civitate essent, venia ista vixdum peti a republica, neque vero negari solebat. Hodierno autem die, quum eo debilitatis collegia adducta sint, ut nullo modo contra adversarios defendere se possint, vix ullus est populi gubernator, qui, si minimam reipublicae utilitatem eo comparatum iri credat, iuris aliqua dubitatione a collegiis dissolvendis bonisque eorum in reipublicae commodum convertendis retineatur. Immo vero magnum aliquid fecisse sibi videntur, si miserorum, qui dissolvendo corpori intersunt, sodalium publice alendorum curam susceperint. Eodem fere modo, quum ordines Germanorum provinciales saeculo septimo decimo multum ex auctoritate sua iam perdidissent, ICtorum plerique, ius Romanum civile sequentes, nulla esse ordinum iura, docuerunt. Quorum tamen nemini in mentem venit, eodem argumento imperii ordines impugnare, quippe qui illo tempore imperatoriam dignitatem iam valde imminuissent. — Sunt profecto, sunt res nonnullae, ubi verus locum habeat omnium populorum consensus. Ita parentes suos colere, pii hominis officium ubique censebitur; neque vero si quis Deos velit contemnere, vel suo ipsius commodo omnia metiri, apud ullam terrae gentem vituperationem effugiet gravissimam. De his ac talibus rebus praeclarum illud dictum est Antigonae:

Οὐ γάρ τι νῦν γε κἀχθὲς, ἀλλ' ἀεί ποτε
Ζῇ ταῦτα, κοὐδεὶς οἶδεν ἐξ ὅτου 'φάνη.

Verum tamen iam de proprietatis iure, quamvis hoc potissimum fere rerum publicarum fundamentum sit, quia hominum sententiae bona fide — ut hoc verbo utar — in diversas partes discedere possunt, ius illud fortioris vel hic inveniri licet. Nemo quidem profecto, suum cuique tribuendum esse, infitias ibit; quidnam autem sit, quod iuste tanquam suum quisque vindicare possit, aliis temporibus aliter decernetur. Ita vectigalium a colonis domino praestandorum quae ante centum et quinquaginta annos ne minima quidem, an iusta essent, dubitatione versabantur, iam hodie permultis iniusta videri coepta sunt, adeo ut uno amplius saeculo peracto nullum fortasse eorum communem invidiam effugerit. — Eadem fere iuris feudalis historia suggerit exempla. Caroli Magni aetate si quis vasallus, invito domino, feudum suum hereditatis iure relinquere voluisset, nefandae ab omnibus impietatis iniustitiaeque macula aspersus esset. Quinque vero saeculis post, vel ubi nulla his de rebus aut lex aut pactio facta erat, vixdum mente sibi fingere potuerunt, quomodo iustus dominus hereditariam, ut ita dicam, feudorum qualitatem suo iudicio impugnare conaretur [3]. — Sic apud Francogallos, — quae res prorsus redolet temporis ingenium recentissimi — quum eo iam progressa sit popularis quam dicunt libertas, ut omnia maiorum instituta, propterea quod maiorum sint, intolerabilia videantur, Lafitte, cui magnam integritatis laudem nullus derogabit, disertis verbis professus est, *neminem iuste posse in aeternum tempus rem aliquam sancire. Itaque omnia fere iuris feudalis instituta naturae iuri esse contraria* (Oratio in senatu habita 20. Apr. 1838.). Sic res feudales, quum magnis viribus suis privatae sint, iamiam iniustae existimari coeperunt.

XI.

Ius civitatis eminens.

Nostra quoque aetate rem aliquam eamque summi videre possumus momenti, quae fortioris iure solo nititur fundamento:

3) Cuius rei exemplum est insigne Adolphi Albrechtiique imperatorum contra Thuringos fratres bellum nefarium.

quamvis Icti nostri, rem ita sese habere, magna diligentia occultare studeant. Ius enim quod vocant civitatis eminens, quo respublica, si omnium salus rem poscere videatur, singulorum iura et ad personas et ad res pertinentia (cf. Mühlenbruchii Doctrinam §. 78, 1a) resolvit, damno compensato, defendere solent eo argumento, quod reipublicae salus singulorum saluti anteponenda sit [1]). Cui argumento Albrecht [2]), vix dici potest quantum huius academiae desiderium, duas quaestiones, quibus refutetur, opponit: primum, quomodo factum sit, ut civitas ita privatis anteponatur; tum vero, cur restituenda sit iniuria ista privatis illata, quandoquidem civitas iure tantum suo utatur. Ipsi deinde Albrechtio ius eminens ex alio civitatis iure, eoque minime dubio, profectum esse videtur, quo civibus ad sustentandam rempublicam onera, aequaliter distributa, iuste imponenda sint. Si quis igitur, inquit, per rempublicam iure suo privatus est, hac ipsa re illi cuiusque civis officio satisfacit, idemque, ne nimio solus onere afficiatur, a ceteris pecuniam vel aliam rem, damno restituendo datam, accipit; ceteri hac pecuniae solutione suam quisque partem conferunt. — Verum ne hac quidem elegantissima explicatione nodus ille expeditus esse videtur. Etenim pecunia ista, quae compensatio datur, ex publico aerario solet numerari. Ideoque, suum ius qui reipublicae concedere coactus est, ad suum damnum compensandum ipse idem confert, atque alius ullus civium. Semper igitur restat, quo ipse gravius, quam ceteri, oneretur. Ergo ne hac quidem Albrechtii ratione veram, ut mihi videtur, iuris aequabilitatem assequemur. Itaque ius eminens prorsus eodem fundamento nititur, quo omne ius fortioris: respublica, quia maior ad eam pertinet hominum multitudo, seu quia fortior est, privatorum iura, minime dubia, si ipsius utilitati repugnant, potest resolvere [3]). Quae tamen

1) Etenim qui ius eminens eo defendunt, quod iam primis constitutum sit pactis socialibus, mera videlicet principii, ut logici aiunt, petitione utuntur.

2) In praelectionibus *de iure Germanorum publico* habitis §. 39.

3) Klüber §. 551 sqq. (Ed. III.) Multis hac de re verborum ambagibus utuntur Icti: *evidente, dringende Noth: unvermeidliche Collision: absolute Bedingung zur Selbsterhaltung* cet. Quae quidem ipsum rei argumentum minime commutant. Nam si reipublicae, ut vitam

res quin iusta sit, nostra aetate, ut ego sciam, nemini aut civitatis gubernatori aut Icto, excepta nimirum Halleri familia, dubium esse videtur 4).

XII.

Minora argumenta. — Socratis de iure sententia.

Attamen vel in huiusmodi rebus haud difficile poteris honestum virum ab inhonesto secernere; remotis scilicet et iis, qui aliud cogitent, aliud dicant faciantve, et iis, qui nullam plane certam animi persuasionem habentes, in horam vivant inconsiderate. Itaque si quem dijudicare vis hominem, tibi non est quaerendum, utram partem secutus sit, sed qualis et qua ratione suae parti faverit. Eadem fere est, ut supra iam vidimus, summi artis nostrae principis sententia: *Eos qui laudentur dignos esse, qui humani generis naturam secuti, imperent quidem ceteris, sed iustiores sint, quam potentiae suae licuerit.* — Quis est igitur, de Tiberio imperatore si ferre velit sententiam, qui crimini vertat ei imperatoriam dignitatem, qua deposita fortasse libera ei respublica instauranda fuisset? Verum longe alia res est, quod talem se gesserit imperatorem. — Quae quum ita sint, memoria haud indignum est, quod semper fere, ubi populus aliquis sive populi ordo principatum suum dimittere coepit, eiusdem simul et patriae amor et communis salutis tuendae studium labefactantur. Quod et ipsum imminutae potentiae et causa est et effectus, neque ullius fere interitum

---

suam conservet, civis vel bona vel ipsam animam inviti licet adimere, quid impediat, quaeso, quin eadem iuris ratione vel minimae reipublicae utilitati utilitas certe singulorum postponatur? Compensatio si datur, toto hoc iure suo summo tantum rerum discrimine utitur respublica, acerbitas quidem iuris valde mitigari potest, ipsum argumentationis principium nullo modo permutatur. Cuius principii, si paullo ulterius procedatur, immanes consequentias eleganter STRUBEN explicuit: R. B. Tom. II. Nr. 80.

4) Ceterum iis, quae apud Ictos commemorari solent, iuris eminentis exempla, pleraque adiicienda videntur minora quae vocantur regalia, maxime metallorum instituendorum, quale per totam, ni fallor, Europam, Russia excepta, invenitur. Itaque in omnibus his regalibus varia adhuc apud populum exacti iam dudum temporis, quo aliter res sese habuit, recordatio superest.

historia narrat, qui interitum non sit meritus. Ita, uno ut exemplo contentus sim, crescente indies Germanorum principum potestate, arctioribus usque terminis imperatoriam auctoritatem coërcentium, imperatores inde a Caroli IV, immo vero a Rudolphi I. tempore tantum aberant, ut bonum principibus exemplum proderent, ut ipsi in suis provinciis fere maxime subruerent imperii dignitatem. Cuius rei insignia quaedam specimina offeruntur et in supremorum imperii iudiciorum historia, et in rei veredariae sive cursus publici (*Postwesen*) initiis.

Iam reliquum est, ut Socratem, et Thucydidis et sophistarum nostrorum aequalem, idemque de iure quaenam senserit, paucis verbis auxilio vocemus. In praeclaro enim, quem cum Hippia instituit, sermone (Xen. Mem. IV, 4, 7 sqq.), quum Hippias dixisset, iuris systema a se repertum esse, cui nemo facile posset contradicere, Socrates: *Tum profecto*, inquit, *neque iudices diversas porro sententias secuturi sunt, neque civium factiones futurae, neque bella unquam gerenda* (8.). Bene igitur intellexerat Socrates, nisi haec defecissent, non omnibus eandem visum iri iustitiam. *Tum vero, etsi verbis non posset, ipsis tamen rebus, qualis esset iustitia, facile demonstrari* (10 sqq.): *etenim* τὸ μὴ θέλειν ἀδικεῖν ἱκανὸν δικαιοσύνης ἐπίδειγμα (12.). Insequentibus versibus (13-18.) iusto viro, dicit, et humanas patriae suae, et non scriptas Deorum leges observandas esse (19 sqq.). Civitatis leges cur tanta religione coluerit (cf. Crit. p. 50 sqq. 54.), ea videlicet causa est, quod Socratis aetate adeo iam stabilita erat Atheniensium respublica, ut magnae constantesque legum conversiones fieri non possent. Triginta enim virorum dominatio, quum solo Spartanorum auxilio et institui posset et sustentari, nemini profecto aut reliquorum civium aut ipsorum triginta virorum iusta esse videbatur. Vixdum alia erat quadringentorum virorum factio, qua Athenienses paene improviso oppressos dixeris. Socrates igitur haec de legibus a civitate latis iudicare potuit: aliam fortasse sententiam tulisset, si Aeschyli tempore et Cimonis viguisset. — Ceterum ἀγράφους leges non eas arbitratus est, quas a priori duxisse (sit venia verbo) sibi videretur, sed eas tantum, quae vel omnium populorum consensu tales haberentur (19 sq.), vel, si quis vellet eas transgredi, poenam quandam secum ducerent et necessariam et naturalem (21 sqq.).

DE HOMINE OMNIUM RERUM MENSURA.

XIII.

Homo omnium rerum mensura.

Quibus de rebus quoniam satis dictum esse videtur, iam ad maius aliquid latiusque patens transeamus. In vulgus notum est Protagorae dictum, omnium rerum mensuram esse hominem (Theaet. p. 152. 156); nec non argumenta, quibus sententiam suam probare voluit, e sola maxime sensuum veritate hausta (Ritter l. l. Tom. I. p. 590.). Quod quidem dictum iam a Platone refutatum est in Theaeteto [1]). Profecto, qui sophistae sententiam veram esse concesserit, eidem assentiens, contraria de unaquaque re dici posse, non negabit (Geel l. l. p. 97. Infra cap. 29.); idemque omnes paene atroces Sexti Empirici consequentias amplectetur (A. M. p. 148.). Immo vero si prorsus velit secum ipse consentire, nullam omnino veritatem esse, aut, si qua esset, communicari nunquam cum hominibus, concedat necesse est. Quam quidem sententiam a Gorgia, audaci homine valdeque vaniloquo, et positam et fusius defensam esse, nos omnes novimus. Hanc vero sophisticarum argutiarum quasi voraginem nemo, qui Protagorae sumtionem concesserit, effugere potest, ut facili conclusionum licet serie ostendi.

XIV.

Homo revera multarum rerum mensura.

Itaque omnis videlicet veritas neganda erit, totusque animus quam maxime conturbabitur ei, qui rerum omnium, quae sint ac quales sint, hominem mensuram esse arbitratur. At vero longe alia res est, quum non quaeritur, resne sint annon, et quales sint, sed quum id tantummodo in disceptationem vocatur, qualis rerum conditio esse debeat. Quae quidem philosophorum esse solet provincia, maxime politicorum qui vocantur et aestheticorum. Ac primum quidem fusiusque de politica disciplina tractemus. — Quicunque optimae civitatis imaginem proponit, hac re nihil aliud dicere videtur,

---

1) Etiam in Cratylo inest brevis Protagorae Euthydemique refutatio: p. 386.

nisi ipse qualem sibi civitatem desideret. Talis philosophus si multos habeat vel sui vel posterioris temporis assectatores, multis, intelligere possumus, eandem civitatis formam desiderari, atque philosopho optima esse videatur. Quorum plerique, quod philosophus distincte atque philosophice prodidit, idem iam antea, etiamsi minus clare, ipsi senserant. — Hanc provinciam, civitatis, qualem et ipsi et magna aequalium suorum multitudo postularent, philosophice describendae, multis variisque nominibus philosophi appellarunt. Alii civitatem, qualis revera se haberet, alii reipublicae ideam, ut sermo est, invenisse sibi visi sunt; alii, qui nec semet ipsos, nec ceteros verborum specie fallere voluerunt, simpliciter, optimam se reipublicae formam proponere, gloriati sunt. — Verum omnes, ut equidem sciam, nihil fere aliud egerunt, nisi ex sui temporis et moribus et institutis [1]), philosophico quodam colore imbutis, imaginem civitatis composuerunt, quam cuiuscunque et aetatis et populi hominibus omnino perfectam visum iri, plerique eorum si non credebant, tamen sperabant. Itaque fere omnes *e vinculis quasi sermocinantur*, pariter ii, qui ex sacris bibliis doctrinam suam hausisse sibi videntur, (velut Selden, Alberti, Vandalin, Filmer, Bossuet), atque ii, quorum systemata vel ex humani animi natura (Plato), vel ex primo hominum statu (Hobbes, Locke, Rousseau) profecta se esse praedicant. Ne recentissimi quidem temporis philosophos, etsi a summis philosophandi principiis incipientes politica praecepta confecisse dicuntur, hac quasi glebae adscriptione liberos invenies. — Hoc autem errore, quo suas ipsorum respublicas, sibi quidem et aequalibus suis maxime adaptatas, tanquam

1) Ceterum hoc potissimum loco observandum est quam diligentissime, quantum intersit inter publica maioris minorisque momenti instituta. Gravissima autem ea sunt, quibus domestica hominum vita, quibus mutua ordinum coniunctio, quibus privatorum cum magistratibus necessitudo continetur. Itaque, licet externa quadam specie sit haud exigua inter Britanniam, qualis sub Georgio III. floruit, et Germanicas, quae constitutionales vocantur, respublicas similitudo, tamen utraque est civitas inter se dissimillima. At vero Borussiae populum, quamquam nullis paene rex legibus circumscriptus tenetur, si quis veram hominum velit conditionem perquirere, a nobis vixdum differentem inveniet.

omnino necessarias commendarent, nonnisi tria scriptorum genera abstinebant. Ac primum quidem pauci illi philosophi, qui adeo universe hanc rem tractaverunt, ut, evitata paene omni singularum rerum descriptione, facile sententias proferre potuerint, quae in omnes et populos et tempora pariter convenirent. *Qua quidem doctrina ipsarum civitatium leges institutaque si quis corrigere vellet, eadem laboraret stultitia, ac si medicamentum componeret secundum metaphysica de generalibus corporum qualitatibus praecepta* (Hugo. l. l. p. 35). Tum vero alii exsistunt, qui, eclectica quadam philosophandi ratione utentes, praeceptis passim et ad arbitrium collectis reipublicae bene administrandae doctrinam quandam componant. Sic Iustus Lipsius politicorum libros suos ad Macchiavellium refutandum conscripsit, quibus magnam tantum sententiarum locorumque communium ubertatem ex antiquis auctoribus quasi decerptorum in unum congessit [2]). Talia, ut omnia eclecticorum opera, quum exiguo tantum confecta sint animi ardore [3]), ne ceterorum quidem animos magnopere permovent. Tertium est verorum historicorum genus, cui quomodo tractanda sit reipublicae gubernandae disciplina, inferiore loco videbimus [4]).

XV.

Platonis civitas.

Ac primum quidem de Platonis libris politicis paullo fusius disputabo, qui semper fere ac plerisque visi sunt ab omni experientia hominumque usu quam maxime abhorrere. Itaque non solum posteriorum antiquitatis scriptorum nonnulli inania

---

2) Quam diversus erat a tali veterum imitatore Ioh. Bodinus, qui eodem fere tempore Aristotelis non verba, sed ingenium secutus est!

3) Cf. quae de eclecticis eleganter disserit Ed. Schmidt, Rostochiensis professor, in libro suo: *Ueber Begriff und Möglichkeit der Philosophie*, p. 241.

4) De arte politica quae ipsi sophistae conscripserint, eorum ne mentio quidem, ut ego video, ad nos perlata est. Protagorae tantum a Diogene laudantur duo libri: *περὶ πολιτείας* et *περὶ τῆς ἐν ἀρχῇ καταστάσεως*. Quod idem profert, antilogias Protagorae politicam doctrinam continuisse, falsum esse videtur, praesertim quum huius narrationis vel ipse Diogenes diversis locis diversos laudet auctores: Geel l. l. p. 84.

paene atque inutilia increpuerunt Platonis somnia[1]), verum ipse quoque Plato civitatis suae descriptionem fabulam quandam (De rep. II. p. 376 D.) et *παράδοξον λόγον* (Ib. V. p. 472 A.) esse iocatur, novum prorsus atque inauditum (De legg. VII. p. 799 D. VIII. p. 828 D.). — Ego tamen demonstrari posse censeo, istam Platonis rempublicam omnibus fere partibus simulacrum quasi esse non solum Graecarum civitatium omnino, sed ipsarum, quales Platonis aetate fuerint. Quare, quae acute observavit Morgenstern, esse magnam quandam Platonicae reipublicae cum Lacedaemoniorum similitudinem[2]), tanquam in vulgus nota, missa faciam. Pereleganter enim, ut solet, Morgenstern, apud Lacedaemonios similiter inveniri, ostendit, custodum vitae conditionem, feminarum disciplinam, immo vero liberorum quandam, uxorum bonorumque communionem. Quae et ipsae Morgensternii observationes partim adscriptionibus augendae, partim, quae de Spartanis solis ille disseruit, de omni Graecia erunt defendenda. — Etenim si constat, Platonem id egisse, ut novam prorsus planeque fictam de coelo quasi vocaret rempublicam, omnia ista Graecarum civitatium similia invito obrepsisse videntur: ideoque ut institutum aliquid in tota Graecia et imprimis in ipsa philosophi patria maxime erat pervulgatum, ita facillime potuit in Platonicum opus invadere. Itaque Lacedaemoniorum

---

1) Athen. XI. p. 507 D. Plut. De fort. Al. p. 328 E. (cf. Cicero De rep. II, 11. 30.). Nihilo secius haud ignotum est, Plotinum Gallieno imperatori persuadere voluisse, ut Platonopolin urbem, Platonicis legibus ornatam, conderet.

2) *De Platonis republica commentt. III.* (1794) p. 305 sqq. Quod satis aperte iam ab ipso Platone indicatum esse videtur, eo videlicet, quod, Lacedaemoniorum quam vocat *τιμαρχίαν*, latius exponit, primam esse minimeque turpem suae reipublicae mutationem: De rep. VIII. p. 546 sqq. — Mira profecto Gruberi est opinio, philosophum in describenda civitate optima ante oculos habuisse — Aegyptiorum ordines. Num forte eo deceptus est vir doctissimus, quod saepius a Platone laudata invenitur magna Aegyptiorum et in legibus et in artibus conservandis obstinatio (De legg. II. p. 656 D. VII. p. 799 A.)? Gruberi *Anmerkk. zu Wielands Werken*, Tom. 39. p. 364. Ceterum Grubero facile ignoscendum videtur, quum ipse Plato adeo posset de operis sui ingenio errare, ut civitatem suam pariter apud barbaros, atque apud Graecos fieri posse arbitraretur: De rep. VI. p. 499 B.

civitas, si Platonis inscii quasi normae quaeruntur, ultimum demum esse debet nobis refugium.

XVI.

Platonis φιλοσοφήματα a vitae usu abhorrentia.

Ceterum Platonis de legibus et de republica libri optimo iure possunt hac disputatione comparari. Nam ipse philosophus, quum rempublicam illam, humano genere plane superiorem, inter Deos tantum Deorumque filios constare posse dixisset, secundam tamen, quae in legibus descripta esset, proxime ad immortalitatem illam accedere, ostendit (De legg. V. p. 739 C. Arist. Pol. II, 3 pr.). Et profecto, quamvis in republica subtilius omnia, acrius et, ut ita dicam, *φιλοσοφωτέρως* tractata videantur, unum tamen utrique libro substructum est fundamentum, idemque in legibus fusius modo et minore dialecticae artis severitate explicatum. — At vero totum opus, etiamsi paucis quibusdam locis contrarie Plato loquitur, minime tanquam exemplar, hominum usu imitandum, ab auctore proponitur. Ideoque comparari potest cum pulchri hominis pictura, quam et ipsam nemo sane eo vituperabit, quod in rerum natura talis homo non sit reperiendus [1]). Causa igitur, cur in lucem hos libros prodiderit, ea tantum putanda est, quod Plato philosopho illi, quem in pectore, ut ita dicam, secum gerebat, regem suum ac dominum, satisfacere non aliter poterat, nisi, quas de civitate sententias haberet, summo cogitandi studio et amplificatas et politas, egregio illo philosophicae artis miraculo proloqueretur. Nec tamen facere potuit, quin locis nonnullis, quae philosophicae tantum orationis desiderio composita erant (*aus dem Bedürfnisse des philosophischen Kunsttriebes*), tanquam consilia, aequalibus suis data, proferret. At enim ipsam rationem, qua civitas sua nasci debeat, eam describit, qua etsi nulla umquam respublica orta esse potest, eadem tamen omnia magnorum philosophorum philosophica opera nata accepimus (De rep. VI. p. 501 sq.). Quam ob rem haud inepte dicere potuit, quando homines vere

---

1) De rep. V. p. 472 D. Quod egregie dictum magno Platonis vitio vertitur a Polybio: Exc. VI, 47, 7 sqq. — *Νῆϊς Μουσάων, ῥίψον ἃ μὴ νοέεις!*

philosophi, vel unus, vel plures, praesentibus despectis honoribus, ipsum, quod rectum est et iustum, maximi facturi essent, tum rempublicam suam ad effectum posse adduci (De rep. VII. p. 540 D.). Quod idem fere est, ac si dixisset: Sint modo Platones, non deerunt Platonicae respublicae, philosophicis libris egregie explicatae. — Ideoque multas apud Platonem res invenimus, quae philosophicam libertatem, a vitae civilis usu prorsus abhorrentem, redoleant. Sic absoluta illa et reipublicae unitas, et custodum imprimis concordia, nullis unquam litibus perturbata (De rep. V. p. 463.); sic libertas, concordia et prudentia, totius reipublicae fundamenta (De legg. III. p. 701 D.), laudatu quidem facilia, neque vero umquam a Platone, humanarum rerum peritissimo [2]), ad effectum adductum iri credi potuerunt. Idem fere iudicandum est, si imperatur civibus, ut in omnibus rebus id semper spectent, quo modo et corpora ipsorum et animi optime sint excolendi (De legg. V. p. 743.); ut, in uxoribus ducendis amore non obcaecati, sibi dissimilem quisque mulierem matrimonio adiungant (De legg. VI. p. 773 A.); idem denique, si perversam venerem, quippe quae legibus non satis possit coërceri, communi omnium existimatione apud cives suos vetari iubet, quae quidem res haud dubie flagitia talia compressura sit (Ibid. VIII. p. 838 D.). Tum vero etiam, ubi Platonis de matrimoniis inter custodes instituendis consilia exponuntur, quamvis non mediocriter curae sit philosopho, ut incesta venus prohibeatur, tamen facillime quisquis intelliget, nullo modo talia in Platonis republica devitanda esse [3]). De medicis ubi loquitur atque iudicibus, illis quidem, putat, quoniam sani sint ipsi, cum aegrotantibus quam saepissime versandum esse; his vero, ut semper iustissimi permaneant, omni iniustorum consuetudine quam maxime interdicit, quia, magis doctrina quam experien-

---

2) Qualis maxime spectatur in praeclara illa historia, quomodo civitatium genera ex altero alterum prodire soleant (De rep. VIII.); neque minus in disputatione vere historica de humanae societatis primordiis (De legg. III.).

3) De rep. V. p. 457 sqq. (Inter fratres certe et sorores incestae nuptiae devitari nequeunt, quia feminae per XX, viri per XXV annos procreandis liberis operam dare possunt).

tia edocti, animis ipsis iniustorum animos habeant sanandos (De rep. III. p. 408.). Quodsi in philosophicas de scelerum iniustitiaeque natura disquisitiones dictum accipiatur, quis est quin libenter assentiatur Platoni? Sin vero ad ipsum trahitur vitae civilis usum, nemo certe, ictus aut probare poterit Platonis sententiam, aut negare, hoc in consilio ipsam latere philosophicam Platonis indolem, ab iniustorum consuetudine maxime abhorrentem. — Idem fere dicendum est, si Plato, in omni lege ferenda causas rationesque legislatori explicandas esse, censet, adeo ut vulgarem improbet legum breviloquentiam, quia non imperare tantum, sed persuadere magis debeant civibus [4]. Quod et ipsum in philosophum quidem cadit, minime cadit in legumlatorem. — Ideoque Plato, tum demum formari posse rempublicam suam, affirmat, quum in iisdem viris et civilis potestas et philosophiae studium plane coniuncta sint (De rep. V. p. 473 C. VI. 499 B.). In iis quidem, quae revera sunt, civitatibus philosophi putantur ab usu vitae communis alieni: quod vero populi stultitiae, non philosophorum naturae, est tribuendum [5]. Platonicae urbis igitur philosophi esse debent gubernatores, iidemque Platonici philosophi. Omnino enim philosophus, licet optimo iure in ceteris rebus publicis vitam degat privatam, in Platonica civitate rempublicam administrandam suscipere debet, relicta illa vita beatiore (De rep. VI. p. 484 sqq. 503. 505. VII. p. 519 C.). Contra, qui verus non est philosophus, etsi reipublicae teneat gubernacula, nunquam verus esse potest gubernator, sed aliis semper obediat necesse est (De legg. XII. p. 968 A.) [6].

---

4) De legg. IV. p. 719 E. 722 A. Eandem opionem vel Iosephi II, Romani imperatoris, tempore increbuisse, notum est: quare plurimae illius aetatis leges, falso quodam perspicuitatis studio magnoque verae iurisprudentiae detrimento, ad popularem intelligentiam accommodatae sunt.

5) De rep. VI. p. 487 D sqq. 489 B. Cf. pulcherrimam, qua haec res fusius illustratur, allegoriam: Ib. VII. pr.

6) Itaque, ut similitudine quadam utar, Graecorum sui temporis civitates in philosophorum linguam eodem fere modo Plato noster transtulisse videtur, quo Atheniensium rempublicam comicus in poëtarum linguam converterit (*Νεφελοκοκκυγία*).

XVII.

Senescentis reipublicae apud Platonem vestigia.

Iam vero demonstrandum est, quibus in rebus Platonica civitas ipsius aetatis Platonicae signis notata sit. Summus autem adulti Platonis tempore iam deciderat Graecarum civitatium flos, adeo ut nulla tum esset respublica, quin *senescentis aetatis vestigia* prae se ferret. Talia vestigia apud omnes fere et antiquitatis et recentioris temporis populos, ubi decrescere coeperint, similia reperiuntur. Quorum id videlicet gravissimum est, quum ipsa civitas adeo sibi arrogavit omnia, ut singulorum civium collegiorumque libertas pro nihilo paene habeatur: quamvis hoc vel maximae ipsorum hominum parti, quia labente republica et necessarium est et salutare, verborum specie possit occultari [1]. Itaque magnum illud certamen, quo respublica inde ab initio, latius usque procedens, et collegia et singulos magis magisque perdomare studet, — summum illud quidem politicae historiae momentum, sed parum diligenter a nostratibus adhuc tractatum — utriusque partis enervatione tandem finitur. Vera et nervosa civium libertas tunc opprimatur necesse est. — Sic Platonicorum *magistratuum dominatio*, nullis plane circumscripta terminis, iam a Morgensternio (l. l. p. 182. 197.) vituperata est. Accedit, quod ipse philosophus pluribus locis profitetur, non singulorum quaeri, sed totius reipublicae felicitatem; ut in humano corpore non membri cuiusdam, sed totius corporis valetudo quaerenda sit (De rep. IV. p. 420 B. Cf. Arist. Pol. II, 2, 16.). Saepissime Plato, reipublicae administratorem, ait, et legibus esse et populi voluntate desideriisque superiorem, eadem fere ratione, qua navis gubernatori nautarum, medico aegrotantium desideria non sint respicienda (Polit. p. 294 sq. 298. De legg. III. p. 684 C.).

1) Collegia, quum difficilius hac in re fallantur, respublica solet vel dissolvere vel adeo debilitare, ut vix nomen eorum inane remaneat. — Ceterum cur apud Graecos Romanosque civitates floruerint, quum magnam praepotentiae illius partem iam assecutae essent, causae facile intelliguntur. Mediocris territorii magnitudo et parvus, si cum servis comparatur, civium numerus apud Graecos ipsam civitatem magno quasi collegio persimilem reddebant; dum apud Romanos modica et municipiorum et sociorum libertas reipublicae illam, ut ita dicam, omnipotentiam diu prohibebat.

Platonis quidem tempore, qui summam imperii tenebant, sive plebs erat seu factio seu tyrannus, nullis fere, nisi ipsorum licentiae, legibus obtemperabant: atque adeo imminuta erat prisca legum institutorumque religio, ut summus illius temporis philosophus, etiamsi bono animo, earum contemtor exsisteret. — Nota est gravissima illa, quam Plato commendat, poëtarum ceterorumque artificum censura, quam neque Homerus, neque tragici, neque Aristophanes, si incidissent in Platonis manus, salvi effugissent [2]). Ad conficienda carmina melica, quorum quales esse debeant sententiae, accurate praescribatur, poëtas, ubi placuerit magistratibus, vi quadam compellendos esse, censet (De legg. II. p. 659. E. sqq.). Nemo apud Platonem praeter publica et sacra carmina versus canere audeat, neve omnibus liceat poëmata componere, sed iis tantum, qui et quinquaginta annos iam confecerint, et magnas antea res praeclarasque gesserint (De legg. VII. p. 800. A. VIII. p. 829. C.). Immo vero in publicis scholis libri nulli videntur legendi, nisi Platonis opera et poëtarum a Platone profectorum; quam legem ne quis transcendat, omnes iuventutis praeceptores sacramento quasi eo adigendi sunt, ut nihil doceant, nisi Platonicis libris consentaneum [3]). (Haud dissimile profecto illius sacramenti, quo nostri sacerdotes ad libros symbolicos rite observandos obstringuntur.) Talis scriptorum servitus in quacunque republica, quum senio laborare iam incepit, necessaria et est, et videtur: ideoque, etsi variae sunt hac in re et libertatis et servitii formae, in omnibus tamen rebus publicis senescentibus reperitur [4]). Ipsa quoque iuventutis educatio eadem inexora-

---

2) De Homero videas de rep. II. p. 377 sqq. X. p. 595. C. De tragicis: Rep. II. p. 379. Legg. VII. p. 817. B. De comicis: Legg. XI. p. 935. D., ubi facile quisquis recentioris comoediae iamiam appropinquantis vestigia agnoscet. Etiam lyrici poetae, quamvis iis sit aliquantulum magis propitius Plato, censoribus corrigendi sunt (De legg. VII. p. 801. C.); item veteris musicae auctores (Ibid. p. 802.).

3) De legg. VII. p. 811. D. Immo vero ne civibus quidem potestatem facit aliter de rebus ethicis iudicandi, atque in sua ipsius doctrina constitutum est: De legg. II. p. 662. B. Quam legem gravissimis poenis vult sustentari.

4) Satis historia docet, et libertatem constare potuisse cum praeventiva, ut verbo utar, et servitutem cum repressiva librorum censura. Cete-

bili legislatoris severitate dirigitur. Itaque adolescentulus, etiamsi maxime a natura sua ad singulare quoddam studium trahatur, nullam legis veniam impetrare potest (De legg. VII. p. 809. E.). Quaenam nostri temporis instituta, dolenda illa quidem, sed, quia necessaria sunt, minime vituperanda, Platonico illi respondeant, silentio equidem praetermittam. — Tum vero nota est terribilis illa **delationum ratio**, quae per omnes de legibus libros a Platone commendatur: adeo ut cognatus cognati, liberi liber, domini servus et explorator esse debeat et accusator. Quae et ipsa reipublicae pernicies, qua Graeciam Platonis aetate magnopere laborasse constat, Romanorum civitatem oppressit labefactam; eademque calamitate ne recentiores quidem liberi remanserunt. Etenim magna ista politiae (*Polizei*) sedulitas, quae ne in domuum quidem penetralia non invadit, quum labentes comitari soleat civitates, eadem apud recentiores esse videtur, quae apud Graecos *συκοφαντία*. Quae tamen calamitas talibus temporibus haud scio an salutaris habenda sit. Hominum mores, ubi semel corrupti sunt, severiore civitatis freno coërcendi videntur[5]).

XVIII.

In eodem argumento pergitur.

Platonis aetate res Graecorum publicae ad regnum sese convertere iamiam coeperunt. Multis locis, primum, ut fieri solet, in coloniis, secunda illa tyrannorum aetas exstitit; neque vero negari potest, si Epaminondae Pelopidaeque brevem gloriam excipias, summam illius temporis ad civitates gubernandas animi dexteritatem apud tyrannos fuisse reperiendam. Mox vero tyrannis hac in re se adiunxerunt reges, adeo ut, inde a Philippo Macedone reges fuisse Graecae historiae quasi fastigia et fundamenta, facile constet. Virilem aetatem quum Plato ageret, Spartanorum respublica totius Graeciae haud dubium principatum obtinebat, quo factum est, ut optimates plu-

---

rum dubiis temporibus et civitates nondum senescentes constat librorum servitute usas esse non diuturna.

5) Stahl (*Rechtsphilosophie nach geschichtlicher Ansicht* Tom. I. p. 13), Platonem, censet, Graecorum civitates maxime vigentes in libris suis depinxisse.

et locus hic nobis esset de Sophistarum docti- et philosophia, odium quod nunc vulgo in eos - tant, majore ex parte sine causa et ratione conceptum, eosque laude magis quam vituperatione dignos censendos, haud multa cum - ra exponi posset". Συναγωγή τεχνῶν p. 40.

rannis revera praeparati sunt ad ... gloriae suae fastigium celeriter assequendum.

2) Itaque Algernon Sidney, quum in cunabulis iam esset patriae suae gloria, fusius disputavit, non esse maximum reipublicae malum civium discordias: *Discourses* II, 26.

otium otiique studia confugientes. Simul philosophi otiosam vitam et feliciorem esse, et sapientem magis decere, argumentis docent. Sic Plato, licet in optima sua civitate philosopho censeat, relicta vita privata, publica munera esse suscipienda, philosophicum tamen otium longe beatius existimat vel talis reipublicae gubernatione [3]). Quare ab iis, quae nunc revera sunt, rebuspublicis summo studio philosophos revocat, quippe qui ad Platonicam illam bene gubernandam praeparare se debeant; vulgares enim respublicas quae a philosopho regantur adeo indignas esse, ut, nullo modo quum corrigi possint, philosophi debeant quietem agere et sua tantum curare (De rep. IX. p. 591 C. VI. p. 496 C. 497 B.).

XIX.

Platonici tres civium ordines.

Iam ad tres venio Platonicorum civium ordines, χρηματιστικὸν, ἐπικουρικὸν, βουλευτικὸν [1]). Quorum infimus ordo utrum ex servis constiterit sive glebae adscriptis, quales Lacedaemoniorum Helotae, Thessalorum Penestae, μνῶται et κλαρῶται Cretensium erant, an ex liberis, peregrinorum ratione constitutis, vix aperte intelligitur. In legibus certe et agrorum cultum servis mandatum accepimus, pro quibus stipem conferrent ad sustentanda convivia publica, et civibus interdictum esse quacunque arte minus liberali [2]). Et in ipsa Graecia civitatibus haud multum intererat, utrum servus quis esset, an peregrinus, quaestui operam navans. Peregrinis, si Athenarum urbem respicimus, neque agros possidere, nec sine patrono vivere licebat; praeter solita ipsorum vectigalia ne extraordinariis quidem civium tributis liberati, contumeliose pompas agere

---

3) De rep. VII. p. 519 C. sqq. Quin etiam si qua civitas a solis esset iustis inhabitata, in ea sane certaretur de imperio non suscipiendo, non ut nunc de suscipiendo: De rep. I. p. 347 D.

1) De agricolis, opificibus cett. v. De rep. II. p. 370 sqq. De custodibus Ibid. p. 374 sqq. De magistratibus nonnulla: De rep. III. p. 412 sqq. — Ceterum custodum nominatio Larissae quoque nobis offertur (Πολιτοφύλακες): Aristot. Pol. V, 5, 5. Schn.

2) De legg. V. p. 741 E. XI. p. 918 sqq. VII. p. 806 E. VIII. p. 846 D Civium ne servis quidem opificia exercere licuit, *quia vel mera opificis inspectio a maioribus liberos muneribus nimium detineret.*

coacti, si civitatem vellent sibi arrogare, in servitutem duci solebant. Altera ex parte ipsa mancipia clementer fere apud Athenienses tractata fuisse constat. Quare facile potuit fieri, ut Plato, quum in legibus bene separaret servos a peregrinis, in republica utrosque eodem modo curaret. — Ceterum in Platonica civitate legumlator, corriganturne βάναυσοι annon, nihil fere pensi habet, summaque semper contemtione eos despicit, quippe quorum occupatio omnem virtutis cultum prorsus impediat (De rep. IV. p. 421 A. Polit. p. 290. De legg. I. p. 644 A.). Cuius despicatus ubi rationes Plato affert, et consilia dat, quibus talia disponenda sint, equidem valde timeo, ne nostratibus, sapientissimis illis praeteritorum temporum castigatoribus, ridiculus plane videatur (De legg. XI. p. 918 sqq.). Tamen Platonis aetate quum omnes idem iudicarent [3]), tum haud scio an artes istae a vilibus tantum hominibus viliter fuerint exercitae. — Ut servi dominis obnoxii sint, Plato censet, iuri naturali esse consentaneum (De legg. III. p. 690.); idemque et libertinorum et servorum conditionem eandem fere commendat, atque revera fuisse notum est (De legg. XI. p. 915 sq. VI. p. 777 D sqq. IX. p. 865 B. 872 C. et passim.). Nostrates quidem commiserari solent eiusmodi Platonis, ut aiunt, errores: Plato contra, si cognitam habuisset, qualis apud nos est, operariorum in fabricis laborantium conditionem, vel argentariorum auctoritatem, pro sua fortasse parte nostratibus et inhumanitatis et stultitiae crimina attribuisset [4]). — Ad utrumque superiorem ordinem quod attinet, magistratus a custodibus haud ita magno separantur discrimine, sicut revera quoque, maxime Athenis, unicuique civium ad plurimos honores tunc aditus patebat. Custodes apud Platonem, ut cives apud Graecos, veram efficiunt rempublicam (De rep. IV. p. 419 A.). Maxima civitatis suae ita constituendae ea Platoni causa erat, quod saepius profitetur, neminem plura bene posse admini-

---

3) Itaque etiam Phaleas in suis de optima republica libris opifices voluit servos esse: Arist. Pol. II, 4, 13. De ipso Aristotele v. infra cap. 28.

4) Neque minus Platonis aetatem redolet, quod nonnullos ex infimo ordine arbitratur, si virtute excelluerint, in custodum numerum recipiendos esse. Notum est, quanta Athenis et libertorum et peregrinorum multitudo civitatem sibi furtim arrogaverit.

strare; quare in uno semper negotio per totam vitam tractando unusquisque se contineat necesse sit (De rep. II. p. 369. IV. p. 423 D.). Quod vel maxime in re militari philosopho nostro videtur, quam nemo possit bene gerere, nisi qui omne studium in hac una re collocaverit [5]). Quae quum ita sint, quis est, qui dubitet, quin hoc in praecepto lateat quodammodo rei militaris conditio, qualis Platonis tempore fieri iam coeperit: ea videlicet, ut non iidem domi civilia, militaria belli agerent, verum singularis quidam mercenariorum ordo unus fere arma portaret. Itaque custodum vita, qualis a Platone describitur, et domibus et agris carens, si philosophica quasi detrahas ornamenta, haud dissimilis erit militum mercede conductorum statui. Scilicet custodes etiam de publico alendi sunt [6]). Platonis autem aetate quum ne revera quidem cives a militibus perfecto iam discrimine separati essent, etiam in libris eius quodammodo utrumque confundi, nemo miretur. — De bonorum communione, quam introducendam esse inter custodes arbitratur, praeter ea, quae Spartae fuisse Morgenstern commemorat, pauca habeo adiicienda (De rep. V. p. 464 sqq. III. p. 416 D.). Nam Athenis eo sensim res pervenerant, ut multitudo, quum et pro iudiciis agendis et pro comitiis obeundis pecuniam acciperet, tota fere publice sustentaretur, felicioribus civitatis temporibus ex sociorum quasi tributis, postea vero ex ditiorum civium spoliis. Quae quidem optimatium expilatio eum gradum ascenderat, ut non ita magnus error esset, si quis, ditiores bonorum suorum non dominos fuisse, sed curatores, diceret. Neque dubitem, quin par vel similis certe fuerit in ceteris urbibus, a plebe gubernatis, optimatium conditio.

XX.

Mulierum Platonicarum disciplina.

In varias magnasque iam ipsorum Platonis aequalium reprehensiones incurrit famosa ista uxorum liberorumque

5) De rep. II. p. 374 sqq. Hoc loco observandum est, operas tali modo dividendas videri et infantibus, ut ita dicam, rebuspublicis, et senescentibus. Florente civitate eiusmodi divisio minus solet desiderari.

6) De rep. III. p. 416 D. VIII. p. 543 C. Custodes suos facile cum mercenariis comparari posse, iam ab ipso Platone observatum est: De rep. IV. p. 420 A.

communio, de qua nobis pauca nunc dicenda restant. Neque vero ipsi philosopho, se vituperatum iri, occultum fuisse videtur; quam ob rem excusationis gratia, antequam praecepta sua traderet, permulta verba praemisit (De rep. V. pr. p. 451 D sqq. p. 453 D. De legg. VI. p. 780 C.). Tria sunt potissimum a Platone commendata: primum, ut matrimonia in singulos tantum annos coniungerentur [1]); deinde ut liberi ea ratione educarentur, qua nunquam aut parentes suos agnoscerent, aut a parentibus ipsi agnoscerentur; denique ut mulieres, quum eadem atque viri educatione fructae essent, idem quoque honorum adipiscendorum ius haberent (De rep. V. p. 451 D = p. 464. VII. p. 540 D.). Hac de re quaenam in republica praecepta sint, in vulgus notum est; verum ne leges quidem alia continent. Itaque tales de mulieribus leges necessarias esse dicit, ne pro una republica duplex fiat; convivia publica, gymnasia, immo vero armorum exercitationes mulieribus adeunda sunt, adeo ut vel invitae ad gymnasia cogantur ventitare (De legg. VII. p. 805 A. VI. p. 780 C. VII. p. 814 A. VIII. p. 833 sq.). Magistratus si gerere volunt, quadragesimus iis vitae annus exspectandus est, dum viri, triginta modo annos nati, honores iam possunt ambire (De legg. VI. p. 785 B.). Ipsa quidem uxorum liberorumque communio in legibus aliquantulum mollitur; verum tamen tantum abest, ut prorsus omissa sit, ut tum impudicae sponsalium praeparationes (Ibid. VI. p. 771 D.), tum, ubi matrimonia prolem non habeant, iussa divortia (Ibid. VI. p. 784 B.) valde illam redoleant. — Ac primum quidem apud Graecos omnino, imprimis apud Lacedaemonios, domestica vita multo minoris aestimabatur, quam apud Romanos Germanosque, ideoque publica illa liberorum educatio et matrimonia a magistratibus ordinata, quum Spartae revera essent invenienda, haud tantopere a Graecis moribus abhorrebant [2]). Tum vero Platonis tempore matrimoniorum religio valde imminuta erat, divortia minime rara. In-

1) Neque vero, ut vulgaris fertur opinio, dissolutam prorsus et vulgivagam venerem instituit: cf. Morgenstern l. l. p. 226.

2) Praeter ea, quae iam Morgensternio nota erant, veram quoque uxoris liberorumque communionem inter fratres plures Spartae licitam fuisse, ex Vaticano Polybii fragmento, nuper invento, accepimus: Hermann *Staatsalterthümer* §. 47, 2.

crebrescente apud viros perversa venere, mulieres, optimo iure infestae, ne in suis quidem officiis manebant (De legg. VIII. p. 836 sqq. imprimis p. 839 A.); quin etiam superbia inflatae dotiumque suarum magnitudine confidentes [3]), domesticum imperium sibi arrogabant. Praeclare igitur Aristoteles, in omnibus, quas *παρεκβάσεις* vocat, rerumpublicarum formis, maxime vero ubi vel tyrannus dominetur, vel populi turba, mulieres, docet, insolentia exsultare (Pol. V, 9, 6.). Quod si optime cadit in Platonis aetatem, iam alius quoque testis adest, idemque gravissimus, Aristophanes, quem in *'Εκκλησιαζούσαις* Platonica derisisse de mulieribus praecepta, a verisimilitudine non abhorret (Morgenstern l. l. p. 74 sqq.). At vero magnum poëtam nunquam illusisse constat singulo sive homini sive rei gestae, nisi maius quod intellexisset eorum esse apud aequales suos quasi fundamentum. Itaque minus Platonem perstrinxisse videtur, quam viros, aequales suos, qui talem mulierum dominationem paterentur. Et profecto, si totam uno quasi oculorum obtutu perspicimus historiam, semper inveniemus, ubi effeminati sint viri, mulieres virilia sibi ingenia induisse. Apud Graecos idem futurum esse, primus quasi vaticinatus est Euripides, cuius in fabula, Alcestis nomine inscripta, femina laudatur, fortitudine et constantia inter viros muliebres praecellens, et sola quae ab Hercule conservetur dignissima. Postea vero diadochorum maximeque epigonorum aetate quanta fuerit mulierum dominatio, adeo ut in imperio administrando viris essent vixdum inferiores, nihil necesse est pluribus verbis commemorare.

XXI.

Minora Platonis instituta.

Pauca etiam laudanda restant Platonis praecepta, quae nisi parva quadam formarum differentia decipi velimus, vera indole iis institutis, quibus tunc civitates usae fuerint, simillima sunt habenda. Verum, ne longus sim, ex magna, quae in promtu habeam, exemplorum ubertate nonnulla tantum eaque maxime perspicua praebenda videntur. — Sic incolarum

3) De legg. VI. p. 774 C. In vulgus nota est ingens Spartanarum et licentia et dominatio: De legg. I. p. 637. Arist. Pol. II. 6.

numerum eum desiderat, agrorumque divisionem ita instituit, ut facile quisquis intelligat, Platonem non magnam, quales apud nos sunt, civitatem in animo habuisse, sed parvas tantummodo Graecorum respublicas, quarum plurimae ex una urbe eiusque territorio consistebant (De legg. V. p. 737 C. p. 745 B.). Agrorum sortes et nummariam rem a Lacedaemoniis sumit (De legg. V. p. 740 A sqq. p. 742 A.), census ordines maxime ab Atheniensibus (De legg. V. p. 744 B. VI. p. 754 D.). Caelibes iisdem, atque Spartae fuerunt, poenis afficit (De legg. IV. p. 721. VI. p. 774. cf. OSANNI De coelibum apud veteres populos conditione. Comm. 1.). — Usitata iuventutis educatione meliorem vix inveniri posse, ipse profitetur: quare consilia, quae ad corrigendam eam affert, a recepta ratione paullo tantum discrepant [1]). Immo philosophorum, quam commendat, institutio eadem fere videtur, qua et ipse et maxima sociorum suorum pars edocti fuerint [2]). — Munera publica sorti committi, quamvis stultissima res nostratibus iniustissimaque videatur, ipse Plato, et necessarium esse, iudicat, ad evitandum plebis odium, et naturali iuri plane consentaneum. Attamen idem, quum revera Athenis summi magistratus, vel certe ad salutem publicam sustentandam gravissimi, civium delectui essent reservati, sortis decisiones aliquantulum recidendas esse, arbitratur [3]). — Quae diversis Platonicorum librorum locis eo videlicet animo commendantur, ut, populari

---

1) De rep. II. p. 376 E sqq. Ceterum quam altas quasi radices in Graecorum mentibus egerit publica iuventutis educatio, eo facile intelligitur, quod Polybius, quamvis magnus esset optimoque inre Romanorum admirator, contemtor Graecorum, tamen in hac una re Romanorum negligentiam reprehenderit: nullam iis certam, aut destinatam legibus, aut publice expositam, aut unam omnium esse puerorum disciplinam: Cic. de rep. IV, 3.

2) De rep. VII. p. 522 sqq. Etiam quod, tanti ad educandos homines momenti convivia esse, dictitat, nonne hoc in memoriam nobis revocat philosophica ista symposia, ubi unus conviva erat omnium sermonum princeps quasi et gubernator: qualia Socratis maxime tempore haud inusitata fuisse videntur: De legg. II. p. 671.

3) De legg. III. p. 690 C. VI. p. 757. Idem fere eodemque tempore Anaximenes iudicat rhetor: Rhet. ad Alex. II. 7. — Euthyni, gravissimae auctoritatis magistratus, quum Athenis sorte deligerentur, apud Platonem civium suffragiis destinandi sunt: De legg. XII. p. 945.

reipublicae forma, ipsa tamen auctoritas penes superiores ordines remaneat, ne quis a philosopho nostro inventa putet, omnia fere ut pervulgata optimatium artificia ab Aristotele enarrantur. — Interior reipublicae administratio, cui nomophylaces [4]), imperatores, senatum cum prytanibus, astynomos, agoranomos, agronomos, phylarchos, iuventutis mulierumque inspectores Plato praefectos voluit, a sola Atheniensium civitate, quippe quae maxime nota esset philosopho, mutatis paucis, depicta esse videtur. Quibus de rebus singula persequi neque necesse est, neque otio permissum. — Idem fere dicendum habeo de Platonico Deorum cultu, cuius singula praecepta, ne quis offendatur, Pythiae danda permittit [5]). — Item in praeceptis de optima iudiciorum institutione omnis fere Atticorum res iudiciaria, paucis mutatis, facile agnoscetur. Sic unicuique magistratui, Plato arbitratur, certarum quarundam rerum iurisdictionem exercendam esse (De legg. VI. p. 767 A.), quamvis soli eorum arbitrio minores tantum mulctas committat, praeter agronomos, qui exiguas privatorum lites decidere possunt [6]). (Ut XXX vel XL viri, *δικασταὶ κατὰ δήμους περιϊόντες*). Omnibus ad sententiam in iudiciis ferendam aditus pateat, quia, si quis a iudicandi potestate omnino repellitur, is civitate ipsa privatus paene videtur (De legg. VI. p. 769 B.). Ideoque iudices in singulas lites sorte eligendi sunt, iudicio autem qui praesint, magistratuum principes in annum integrum destinantur. Verumtamen priusquam res ad publicos iudices referatur, per arbitros, ab ipsis litis partibus ex sua tribu delectos, resne ad concordiam adduci possit, periculum faciendum est [7]). — Hominem si quis occiderit, res-

---

4) Num forte in Platonicis legum custodibus areopagus latet, qualis Euclide archonte instauratus est?

5) De legg. IV. p. 717. VI. p. 759. VIII. p. 828 A. De rep. IV. p. 427 B. In rebus divinis nihil legumlatori commutandum esse, censet: De legg. V. p. 738 B.

6) De legg. VI. p. 764 B. 761 E. VIII. p. 843 D. 846 A. Agronomis vel astynomis minores opificum, ut peregrinorum, causae diiudicandae sunt: De legg. VIII. 847 A. p. 848 E.

7) De legg. VI. p. 766 D sqq. In duabus rebus iudicia, qualia Athenis usitata fuerint, correxisse videtur philosophus, fortasse alius cuiusdam urbis exemplum imitatus. Primum, quod duas esse vult ho-

publica, ut revera fiebat Athenis, causam non suscipiat, nisi accusantibus occisi cognatis, (usque ad quartum, ni fallor, Romanorum gradum,) quos gravissima poena ad accusandum Plato compellit. Ceterum qui non de industria caedem perpetravit, patriam per tempus aliquod exsul debet relinquere; adeo ut vel bestiae corporaque inanima, si forte homini cuidam mortem consciverint, expianda et ex urbe removenda sint. Cuius praecepti quasi defensorem advocat Plato vulgarem opinionem, occisorum manes graviter irasci, si is, a quo occisi sint, quietam domi vitam agat (De legg. IX. p. 866 A. 871. 865. 867. 873 D.). — De ceteris haec tantum, quae commemorentur, eligenda censeo: primum, quod mira, quae de mercatura proferuntur, consilia, prorsus ab Attica consuetudine abhorrentia, ipse Plato, ex Cretensium legibus sumta esse, declarat (De legg. VIII. p. 847 D.). Tum vero, quod saepius monet, Graecos Graecorum natura ipsa socios esse atque amicos, barbarorum hostes (De rep. V. p. 469 sqq.). Quae sententia, quum Periclis aetate neglecta prorsus iacuisset, adeo ut nihil prodessent acerrimae comici adhortationes (veluti Lysistr. 1133. 1248 sqq.), Agesilai tempore instaurari quodammodo coepta est. Attamen Alexandro demum regnante, quum omnes fere ita sentirent, barbarorum regna everti potuerunt. Cuius rei prima quasi praesagia in Platonicis libris ita reperienda sunt.

XXII.

Alia nonnulla veterum exempla.

Hactenus de Platone. — Ceteros, qui ante Aristotelem reipublicae bene gubernandae praecepta dederint, multo etiam magis cum civitatibus, quales revera se habebant, congruisse, ex Aristotele constat (Polit. II, 4, 1.). Inter quos Thibro, ut hunc nominatim appellem, aliique permulti in sola Lacedaemoniorum republica laudibus extollenda versati sunt (Ibid.

---

rum arbitrorum quas dicunt instantias (p. 766 E.); tum vero, quod iudices, si iniustam sententiam tulisse videantur, apud legum custodes accusandi sunt (Ibidem). Ceterum in toto Platonis loco confusio quaedam inesse videtur et magistratuum, iudicio praepositorum, et ipsorum, qui sententiam ferant, iudicum. Nimirum huiusmodi rerum parum usu exercitatus erat vir magnus.

VII, 13, 11. IV, 1, 3.). Hippodamus, quum Mileti habitaret, non solum Milesiorum, sed omnino coloniarum conditionem in suis libris ante oculos habuisse videtur. Uxorum, liberorum, bonorumque communio uni accepta est Platoni (Arist. Pol. VII, 13, 11. II, 5. II, 4, 1. II, 9, 8.). De ipso Aristotele videas infra cap. 28. — Zeno stoicus, sapientem non unius esse reipublicae, sed totius orbis civem, docuit; idemque optimum arbitratus est, si omnes homines, neque urbibus, neque populis separati, nec sua quisque iura observantes, summa concordia unaque lege continerentur (Plut. De Al. fort. I, 6. Ritter Tom. III. p. 632 sqq.). Nimirum Zenoni ea temporum conditione vivendum erat, qua Alexandro licuerat, tantam orbis partem uni subigere imperio. Quod quidem ut restituerent, successoribus eius semper erat et maxime in votis. Postea, quum in Romanos transiisset orbis terrarum imperium, Stoici, quorum eadem permanebat doctrina, magis etiam politica sua praecepta ab ipsis rerum publicarum gubernatoribus curari videbant [1]. — Mox Polybius, quae de optima sensit reipublicae forma, omnia fere ex Romanorum civitate edoctus fuit, suis temporibus maxime florente [2]. Idem magis, ut ita dicam, Romanus erat, quam Graecus; adeo ut Romanorum historiam magis eum calluisse, quam Graecorum, facile demonstrare possim. Ideoque quum optimam rempublicam Romano more ex regno, optimatium arbitrio, populari civitate aequabiliter compositam desideraret, vel minora, quae adiecit, ex Romanorum institutis depinxisse videtur. De maioribus hac in re Polybii virtutibus, itemque de Ciceronis in politicam doctrinam bene meritis inferioribus locis disputabo. Ceterum ne Cicero quidem vel mi-

---

1) Tales *κοσμόπολῖται* ubi multi sunt, populorum mores (*Volkscharakter*) adeo iam exstincti esse solent, ut diversae gentes revera pares esse videantur. Quo si res pervenerint, equidem profecto, cur alia patria pro alia laudanda porro et expetenda sit, prorsus nescio.

2) Exc. VI. Tacitus autem, cuius tempore civitas ita bene composita nec fieri nec manere poterat, omnino eam fieri aut manere posse, dubitat: Ann. IV, 33. — Verum quis est, ubi diligenter Polybiana ista perlegerit, quin commotus sit magna illa et argumenti et animi similitudine, qua Polybius Romam, Germanorum populos Tacitus, Britannicam rempublicam Montesquieu depravatis suis civibus tanquam exemplar proposuerint? Cf. Cic. Rep. I, 21.

nime dubitat, quin praestantissima omnium respublica apud Romanos reperienda sit [3]); scilicet Romanorum scriptorum plerique, sive arrogantia ducti, sive incuria, sui imperii et fines orbis terrarum et incolas humani generis nominae appellant. Ita, quod occultius paene omnes faciunt, Romani faciunt aperte [4]). Ceteroquin Cicero, quum plurimae eius ex Graecis sententiae haustae essent, maxime ex Platone, Aristotele, Polybio, tamen quoties de suo ipsius aliquid adiiceret, prorsus suae aetatis desideriis ductus est. Sic optimam esse eam rempublicam censuit, quae ex tribus mixta esset civitatium generibus, qualis Romae erat suo tempore invenienda; ipsis autem tribus illis generibus longe praestare regium (I, 45. I, 35 sqq. II, 23. III, 35.). Attamen in ipso regno delectum esse vult, non hereditarium regem (II, 12.), et in coelum paene laudibus extollit Servianam illam classium institutionem, qua ut quisque fuerit ditissimus, ita maxime auctoritate valuerit (II, 22.). Quae iudicia unde profecta sint, facile intelliges. Ciceronis tempore, quum omnis fere pacatae reipublicae auctoritas divitiis perpenderetur, tamen, quia pax haud diu conservanda videbatur, regiam quodammodo potestatem tacite plurimi desiderabant. Neque vero hereditaria ferri iam poterat. Quam rem ita sese habere, ipsa mox historia docuit. — Postea vero, dum etiam Cicero longe meliorem existimat civitatis gubernationem, quam philosophicum otium, summumque civium arbitratur officium, ut reipublicae se dedant (De rep. I, pr. et passim.): ceterorum plurimi, civitate indies magis usque depravata, a publicis muneribus refugiendum esse libertatemque, non civilem, sed philosophicam modo conservandam professi sunt. Itaque Epictetus docet, nihil nostrae esse voluntati subiectum, nisi ipsum animum, quem ne Iupiter quidem gubernare possit. Quae quum ita sint, postquam omnibus civilis vitae curis adeo renuntiaverimus, ut ne de patria quidem laboremus, solum animum porro nobis colendum esse. *Sumus enim*, inquit, *rerum gestarum nonnisi spectatores et interpretes, qui, ubi non amplius tole-*

---

3) De rep. I, 46. Cf. omnem fere librum secundum, ubi quaecunque populi Romani instituta, tanquam divinae sapientiae plena, summopere collaudantur.

4) Veluti L. 1. §. 2. D. De iust. et iure (Ulp.): Publicum ius est, quod ad statum rei Romanae spectat.

randae videantur, quibus afficimur, calamitates, facile possumus ex hac vita emigrare (RITTER Tom. IV. p. 215 sqq. 225 sq.). Num opportunius potest paucis verbis describi, qualis fuerit, labente imperio Romano, quieti hominis conditio?

XXIII.

Recentiorum exempla.

Recentiorum perpauca tantum exempla sufficient. Unamquamque civitatis bene gubernandae rationem, quae magnae hominum multitudini vel placuit, vel coepit placere, a viro docto, eiusdem fere sententiae assectatore, defensam videmus. Quod praecipue ex eo inde tempore fieri coepit, quo librorum et scribendorum et legendorum studium magis pervulgatum est: quae res, quum aliorum multorum, tum vero artis typographicae et mater erat et nutrix. Ideoque si quis historicus enarrare velit, qualia in politicis rebus gravissima fuerint hominum, in variis temporibus versatorum, studia, illis doctorum libris ut historiae suae capitibus uti poterit. — Ac primum quidem MACCHIAVELLI magnae inter aequales suos factionis quasi orator fuit, quae, flagranti antiquitatis amore incensa et praesentia aspernans, pontificatum commutare in regnum saeculare, barbaros Italiae oppressores expellere et pristinam Romanorum gloriam restituere studebat. Quod consilium etiamsi Alexander Iuliusque pontifices, itemque Caesar Borgia magna ingenii laude susceperunt, tamen, vel omnia fere Macchiavellii praecepta secuti, ope tandem sua deiecti sunt. Nihilo secius ipse Macchiavelli, quum sermonis elegantia et simplicitate, hominumque et rerum intima cognitione antiquorum paene laudem aequaverit, adeo ut inter magnam vituperatorum turbam Baconem invenerit Gervinumque defensores, in aeternum tempus factionis suae rem clarissime aget. — Tum vero haud exigua eorum numerus, qui, quum Macchiavellium refutandum tesseram quasi communem haberent, μοναρχόμαχοι appellati sunt, sextum decimum Domini nostri saeculum magno clamore implevit. Desciscentibus enim evangelicis christianis, Romanam ecclesiam, maxime per Iesuitas, novis viribus instauratam esse constat. Unde factum est, ut multo maiorem, quam antea, apud catholicas respublicas auctoritatem recuperaret: quae res in politica Iesuitarum opera cum magna vi transiit,

eandemque non ecclesiae tantum, sed omnibus catholicae fidei civitatibus acceptam fuisse, inde facile demonstrabitur, quod μοναρχομάχων princeps, praeclarus Mariana, librum suum Philippo, Hispanorum regi, dedicaverit. — Insequenti saeculo maximum politicae historiae momentum certamen illud fuisse videtur, quo reges contra plebem optimatesque absolutam sibi potestatem comparare studebant. Quae quum ita essent, tota Europa in duas partes divisa, vel divinae res, quum primas antea partes in historia egissent, tum secundas agerent oportuit. Cuius certaminis apud Germanos Britannosque, ut notum est, optimates, etsi variis modis, victoriam tandem reportarunt, apud ceteros populos reges. Itaque ne his quidem partibus duces et oratores defuerunt viri docti. Sic Hobbes et Filmer rempublicam talem sibi finxerunt, qualem Stuartorum familia revera reddendam sibi proposuit; sic Vandalin Daniae, Bossuet Galliae regem argumentis suis, ex sacra scriptura haustis, defenderunt: quorum omnium hac re quasi princeps Spinoza existimandus est. Nec defuerunt, qui contrarias partes agerent, Milton et Harrington, quorum alter in Oceana sua Britanniam luce clarius intelligi voluit, eamque ita constituit, qualem magna republicanorum pars, (sit venia verbo), decepta quidem a Cromwellio, desideraverat. — Interea Batavi, quum maximum studium collocarent in commercio, cum externis populis et domi et militiae habendo, magnum hac in re principem secuti sunt Hugonem Grotium, cuius illustris de iure belli ac pacis conscriptus liber ea praecepta continuit, quae ad hodiernum usque diem a christianis populis comprobarentur. Quis est autem, qui unum virum doctum, patriae suae exsulem, putet, tot tantisque populis ex umbra sua leges dedisse? Ea nimirum professus est, quae in omnium animis iam antea latebant. — Deinde si Britanniam spectamus, ceterorum recentioris aetatis populorum in civitate bene administranda facile magistram, idem fere nobis apparebit. Ac primum quidem Sidney, quamvis republicanus habeatur a vulgari opinione, tamen, si pauca excipias, quae ad Filmerum tantummodo ceterosque refutandos dicta sunt, in quacunque eius sententia posterioris Britannorum gloriae vestigia facile agnosces. Itaque vir illustris, quum ea praecepta dederit reipublicae administrandae, quae postea Britanniae magistratibus haud dubie ac-

cepta sunt, quia praematurus surrexerat, ut fieri solet, morte multatus est. Deinde Lockе illius, quasi *Μαραθωνομάχων* temporis, quo Guilelmus et Anna regnabant, orator exstitit. Naturalis hominum status primaque reipublicae origo, qualis ei videtur, prorsus est illius Britannicae seditionis imago. Singularia, quae ad tutandam rerum auctoritatem (*Eigenthum*) dantur, praecepta; tres illi, quibus reipublicae summa tenetur, magistratus; ea denique ratio, qua, magistratuum si qua oriatur discordia, penes populum est arbitrium ultimum: haec ceteraque fere omnia, quae vitio saepe a nostratibus Lockio versa sunt, praeclarae Britannorum reipublicae, qualis superiore saeculo floruerit, summa quasi fundamenta sunt putanda. Ideoque si quis vel paucas percurrerit maioris Pittii orationes, bene sciet, quoties a magno viro Lockius auctor nominatus sit. Tum vero Humii praecepta, multos per libellos dispersa, facile quisquis intelliget, Aristideum quasi Pittii maioris ingenium redolere [1]). Vixdum alia est, quae Montesquio optima videtur, civitatis forma. Mox vero Payne exstitit, a prioribus adeo diversus, ut vix eiusdem populi eum vel eiusdem saeculi credideris. Cuius praecepta, recentioribus Françogallorum haud plane dissimilia, quum Americanarum coloniarum defectionem quodammodo defendisse videntur, tum nostrae aetatis, qui radicales vocantur, reformatoribus prorsus conveniunt. Itaque Payne, quum, quae ipse desideraret, professus sit, futurorum temporum quasi vates factus est. — Ceteros silentio praetermittam, quorum alii, maxime a Russovio [2]) incipientes, Gallorum reipublicae conversionem praeparasse videntur; alii, Halleri maxime familia, istorum adversarii, obsoletas iam vel de-

1) Liberae tamen reipublicae ubi optimam formam Humius commendet, Batavorum civitatem ante oculos ei fuisse, neminem profecto effugiet: *Essays* Tom. II. No. 16. Quod ne cui mirum videatur, semper in memoria tenendum est, omnes respublicas, a Germanorum populis conditas, pariter cognationis quodam vinculo contineri, atque antiquas Graecorum civitates. Itaque si facile potuit vel Atheniensis Lacedaemoniorum rempublicam admirari, vel Lacedaemonius Atheniensium, facile quoque Montesquieu Britannicam, Hume Batavam civitatem suis ipsorum anteferre potuerunt.

2) Egregie, quomodo Russovii civitas ex Genevensis reipublicae conditione pendeat, ab Heerenio explicatur: *Kl. hist. Schriften* Tom. 2. pag. 211 sqq. 229 sqq.

crescentes res tueri student; alii, quales nunc sunt respublicae, commutatis paucis, tanquam optimas defendunt. Inter quos quum nonnulla sint nostrarum academiarum nunc cum maxime lumina, equidem, si laudare eos vel reprehendere velim, valde timeo, ne adolescentulus immaturam his de rebus sententiam tulisse, optimo iure videar [3]) [4]).

XXIV.

Conclusio.

Itaque egregie Plato, unicuique, inquit, ea sunt accepta, quibus ipse assuevit, et suas quisque leges optimas esse iudicat [1]). Omnes fere vel ab aequalibus suis, vel a posteris magni viri appellati tale nomen eo sibi compararunt, quod vel res domi militiaeve gesserant, vel scripta composuerant, vel aliud quid maioris momenti peregerant, qualia ingens hominum multitudo desideraverat quidem, neque vero ipsa assequi potuerat, nisi magnus ille vir exstitisset. At vero in civitate gubernanda quod maiori nationis parti acceptum est, adeo ut aliter vivere non posse sibi videatur, ubique ad effectum id revera adducitur. — Quid? feidarum ius (*Fehderecht*) et reliqua Germanorum iudicia, qualia mediae aetatis primordiis inveniuntur, nonne prorsus nobis essent intolerabilia? Neque vero prisci illi maiores nostram politiam ferre potuissent, nostra vectigalia, nostras actiones iudiciarias. Item quod Atheniensibus ad vitam feliciter degendam plane visum est necessarium, ut in foro semper et via, in pulvere soleque versarentur, quis

---

3) Pulcherrime Eichhorn observat, eodem tempore, quo mutati mores effecerint, ut iurisdictio criminalis, increbrescentibus sceleribus minoribus, politiae facta sit consimilior, etiam iuris criminalis doctores, quum a summis doctrinae principiis incipere sibi viderentur, refutata deterritione, praeventionem tanquam criminalium poenarum fundamentum collaudasse: *R. G.* Tom. IV. §. 620.

4) Cf. Heeren *Ueber die Entstehung u. s. w. der politischen Theorien.* (*Kl. hist. Schriften*, Tom 2.)

1) De legg. VII. p. 802 C. III. p. 681 C. — Iam Xenophanes, considerata Graecorum mythologia, plerosque, animadverterat, si imaginem quandam summae perfectionis sibi fingerent, suos ipsorum et animos, et mores, et vultus ei attribuere: Clem. Al, Strom. V, 601. Idem fere ab Aristotele observatum est: Pol. I, 1, 7.

nostrum umbraticorum rempublicam ita constitutam desiderabit? Verissimum igitur Aeschyleum illud: *Ἄλλον ἄλλῃ πρὸς πόλει τεταγμένον.* — Idemque aliter qui fieri possit, equidem non intelligo. Sunt quidem civitates, quae non ipsarum, vel regum suorum gubernentur voluntate, sed externi populi dominatu teneantur. Quas si excipias, tamen ne has quidem credo, nisi ipsa eorum virtus antea iam labefactata sit, a Deo, omnium rerum gubernatore, servitutis iugo subiectas esse. Ceteros autem populos, necdum externis obedientes, qui invitos constanter gubernari putat educarique vel regum suorum, vel legumlatorum arbitrio, vel sacerdotum monachorumve artificiis, quamvis haec sit opinio maxime pervulgata, tamen eius *μακαρίσαντες τὸ ἀπειρόκακον οὐ ζηλοῦμεν τὸ ἄφρον.* Miras profecto, qui talia iudicat, et de hominum libertate, omnibus innata, et de providentia Dei sententias habeat necesse est [2]). — Semper quidem, quae est humani generis natura, conqueri solent homines, nunquam conditione sua plane contenti, quos si Croesos reddideris, Midias se esse, si Helenam iis dederis, Venerem uxorem desiderabunt. Attamen, paucis quibusdam exceptis, omnes eâ solum reipublicae administrandae ratione possunt contenti vivere, qua nati sunt [3]); donec, subnascentibus aliis, quum in dubium vocetur, patresne melius de republica sentiant, an filii, *κρίσεις* illae, quas aut reformationes aut revolutiones dicunt, exoriantur. Mutati enim homines mutatam reipublicae formam desiderant. Itaque, quum summa reipublicae praestantia in eo posita sit, ut beatos reddat quam maxime cives, quandoquidem non omnes possunt aut populi aut saecula eadem vita felices fieri: quaenam restat, quaeso, optima reipublicae forma? Philosophos, optimae civitatis formatores, si interrogamus, unusquisque magna et verborum et argumentorum ubertate suam civitatem, tanquam de coelo ipso

2) Cf. praeclaram hac de re Fergusonis disputationem: *An essay on the history of civil society*, III, 2. p. 187 sqq.

3) Itaque labentis reipublicae homines nullam aliam civitatis gubernandae rationem, nisi quae labenti conveniat reipublicae, tolerare possunt. Traianus imperator, si priscam Romanorum libertatem instaurasset, quis dubitaverit, quin civium saluti pessime consuluisset? — Ceterum permulti rempublicam permutare volunt eo tantum consilio, ut repulsorum, qui antea fuerint, gubernatorum ipsi locum obtineant,

detractam, nobis venditat: quae quidem ingens laudantium discordia haud exigua est ratio, cur, omnes deceptos esse, credamus (Alcib. I. p. 111 E.). Talium igitur rerum nonne homo est mensura? mensura omnium, ubi quaeritur, quales esse debeant, excepta sola Domini nostri de moribus doctrina[4] [5]).

DE PERPETUO RERUM FLUMINE.

XXV.

Rerum flumen perpetuum.

Iam ad summum venimus sophisticae doctrinae quasi caput et fundamentum, ad perpetuum rerum flumen, quo omnes

---

4) Dicat fortasse quispiam, in omnibus de optima republica libris fundamenta quaedam inesse communia, quae quum ad Graecos Romanosque, tum ad nos quoque pertineant, nec tamen in mediae aetatis rebus publicis observata fuerint. Cui facile opponendum est, adultarum tantummodo civitatium homines de optima republica solere libros componere: ideoque in omnibus communia esse solent eiusmodi scriptoribus, quae et ipsa in civitatibus adultis communia sunt.

5) In arte aesthetica, qui diversorum temporum aliquot libros perlegerit, facile observabit, semper fere aestheticos eadem collaudasse, quae eiusdem aetatis poëtae ceterique artifices assequenda sibi proposuerint. Hanc sententiam ut illustrem, pauca ex Gervini, suavissimi praeceptoris, libro, quem ad manum habeam maxime, huic loco inseram. Ita, florente Norimbergicorum schola posteriore, quum poëtae omnes nihil fere, nisi bucolica, versibus componerent, aesthetici, pastoralia carmina totius poësis fundamenta esse, censuerunt (Tom. III. p. 291). Ita Fenelonis tempore, quum heroica fere nulla exsisterent, omnibus historica quae dicunt romana conscribentibus, aesthetici, maxime Huetius, eodem haec esse nomine appellanda, quo priscorum et antiquorum epica, arbitrati sunt (Ibid. p. 404.). Poëtarum quum Wernicke esset princeps, quippe qui satiris epigrammatisque excelleret, aestheticis haec poëmatum genera omnino praestantissima visa sunt (Ibid. p. 540.). Deinde in vulgus notum est, postea, quum omnes fere aut didactici essent, aut fabularum poëtae, Bodmerianos cum Gottschedio eo convenisse, ut poëtarum merita metirentur utilitate, Bodmerumque cum familia sua in primo carminum loco fabulas posuisse. Iam vero nostris temporibus, ubi pedestris sermo deficiens cum poëtico coepit, ut fieri solet, commisceri, undelibet surgunt adolescentuli, optimum dicendi genus ex prosa poësique compositum esse, clamitantes. Qui quidem eo usque caecitatis pervene-

res non esse, sed fieri semper, dixerunt. Quam sententiam, ab Heraclito ipsis traditam, iam in Homero priscisque Orphicis inveniendam esse, putarunt [1]. — Eadem facile potest refutari, si quis interroganti, quid vere fiat, diligenter studeat respondere. Item facillime est intelligendum, quam arcte haec sophistarum sententia cum prioribus duabus coniuncta sit. Iidem sophistae, qui omnes res et iustas esse et iniustas, qui omnes sententias et veras esse et falsas, antea defenderant, iam omnes res eodem tempore et esse et non esse, concesserunt. Quin etiam Protagoras omnino dicere ausus est, de quacunque re si contraria proferrentur, tamen vera esse (Geel p. 97 sqq.). Denique, ut superiore loco ostendimus, sophistas ex suis de iure sententiis argumentatos fuisse, nullum omnino ius esse, et ex Protagorae dictis de homine, omnium rerum mensura, nullam omnino aut cognosci posse, aut doceri veritatem: sic in vulgus nota est Gorgiana sententia, nullam rem omnino esse [2]. In hac sophistae conclusione ipsius videlicet iam inest refutatio. — Ceterum ne hic quidem sophistarum error prorsus fundamento quodam vere historico privatus est. Etenim si proprium historici munus, quo a poëtis, philosophis, ceterisque omnibus quam maxime differat, uno verbo describere volumus, certo nobis erit dicendum, historico res humanas considerandas esse, quales nascantur et crescant, quales adultae floreant, quales denique descrescant et intereant. Quae cognoscendi summum eius studium est; acribus et acutis oculis, quanam aetate vel populus quidam, vel civitas, vel ars, vel disciplina sit, videre potest. Ut philosophi est, semper et ubique in animo habere summum doctrinae suae principium, cui omnia, quae et in vita et in libris inveniat memorabilia, subiungat ad amplificandum systema suum: ita historico nihil magis curae est, quam omnes res, quae ante oculos ei veniant, quo tempore et qua conditione aut floruerint, aut florentes futurae sint,

---

runt, ut latini sermonis regnum ad Tacitum deferant: quod et ipsum quidem priscis iam Gryphianis placuerat, imitatis, ni fallor, corruptae Italorum recentiorum eloquentiae auctores.

1) Crat. p. 402 B et passim: Il. ξ, 201. Orph. Hym. in Ocean. pr.

2) Breviter apud Platonem Protagorae de perpetuo rerum flumine refutatur doctrina: Phil. p. 54.

explorare. Itaque historicus revera, ut ita dicam, rerum magis γένεσιν, quam οὐσίαν, cogitat.

XXVI.

Historica doctrinae politicae ratio.

Quae quum ita sint, si quis iuvenis, discendi cupidus, historicum interroget, qualis constituenda sit optima civitas, ille, quam ipse desiderat, minime vero tamen discipulo proponet. Etenim probe scit, hanc reipublicae formam sibi quidem et aliis, sui similibus, immo fortasse maiori aequalium suorum parti acceptissimam futuram esse et optimam, omnibus vero ceterorum populorum et temporum hominibus nullo modo. Itaque si discipulus non, quae magister sibi desideret, sed ipsam veritatem vult cognoscere, alia institutionis via ingredienda est. In omnibus enim huiusmodi disciplinis, velut in aesthetica, politica, ceteris, discipulus non quaerit praecepta, propria vel Marci vel Lucii, sed ea, quae talis homo det, qualis esse debeat, eademque a nullo possint, nisi ab inhumano, repudiari. Quae quidem, ut barbare loquar, hominis in abstracto praecepta dicere conor. — Quid? ubinam quaerendus est homo ille in abstracto? Philosophus quidem, quae nonnullorum esse solet modestia, semet ipsum talem esse humani generis principem, quam potest maxime, nobis acclamabit. Cui si diffidemus, alia via patet, cuius ductor esse debet historicus. Is enim in montem quasi nos adducet altissimum, unde intueri possimus, ab historia edocti, quidquid homines ab ineunte historia usque ad nostram aetatem, ut rempublicam haberent bene constitutam, fecerint, cogitaverint, scripserint. Quae si cuncta consideravimus, causasque eorum et effectus, quatenus cognosci possunt, bene animadvertimus, tum quodammodo ad eorum cognitionem accedimus, quae totum genus humanum, quae ipse, ut dixi, homo in abstracto de republica senserit [1]. Verum in tanta sententiarum de republica latarum turba, eae maxime nobis accipiendae sunt, quas populus quisque, florente ipsa civitate sua, habuerit. Etenim quum alii populorum mores et alia indoles alias efficiant de republica gubernanda sententias,

---

1) Facile quisquis intelliget, talem doctrinam politicam tum demum absolutam fore, ubi supremus humani generis dies advenerit.

quibus ipsis populi sententiis civitas dirigi solet; quo tempore floruerit apud populum quendam respublica, eodem vel de republica sententias optimae fuisse videntur. — Dicat vero quispiam, hac definitione mea dubitationem minime removeri, quum alius aliud, quo civitas floruerit, tempus nominaturus sit. At vero, ut exemplum afferam, si quis hodiernum Italiae statum, si Graecorum Alexandro mortuo conditionem, reipublicae, qualis apud Graecos Italosque fuerit, florem esse iudicet, equidem, hunc refutari, vix operae pretium esse arbitror. Saepe difficillimum est certe, quonam tempore civitas quaedam floruerit, accurate intelligere, sed potest tamen intelligi haud dubie, si quidem iam finitam habemus populi historiam. Idem fere est, ac si de singuli hominis aetate iudicare velimus: qui, septuaginta annos natum in flore aetatis vigere, dixerit, ridiculus plane videbitur, adeo ut nemo, quamvis saepe difficile sit iudicium, omnino de hac re certo iudicari posse, negaturus sit. Talibus rebus, si duo contraria sibi dicunt, alter tantummodo recte dicat necesse est. Quae res apud eos, qui philosophice optimam sibi fingunt civitatem, longe aliter sese habet. Etenim si Plato rempublicam nobis describit, in qua sola ipse vitam possit prorsus felicem degere, si Locke aliam, solam sibi convenientem: quis non intelliget, potuisse utrumque, etiamsi diversa protulerint, recte iudicare? Haec disparata sunt, ut loquar cum logicis, non contraria vel contradictoria iudicia (cf. Stahl l. l. p. 6.). — Si quis igitur cognoverit omnia, quae unquam de republica bene constituenda homines senserint, universam sine dubio, quae hac re comparanda est, veritatem habebit. Neque vero a vitae usu erit remotus; nam facile poterit, quae rerum publicarum lapsum interitumque, quae florem comitari soleant, ex tanta doctrinae ubertate colligere. Idem quum solus intelligat, quonam aetatis iam provecta sit sua ipsius patria, optime potest, quaenam ei conveniant instituta, quaenam leges, diiudicare. Itaque, in animo quia semper habet, eam civitatem, ea iura, quae sibi desideret, non omnino esse neque omnibus desideranda, quo iudicat modestius, eo melius, quae patriae suae civibusque salutaria sint, demonstrare potest [2]. — Ceterarum disciplinarum, ubi res quaedam, quales

---

2) Similia fere oportuno quadam tempore Protagoras sensisse videtur,

esse debeant, tractandae videntur, eadem fere est conditio. Itaque, qui obiectivam, ut verbo utar, veritatem in iis quaerit, ei pro aesthetica artium historia, pro naturali iure iuris historia, pro grammatica universali linguarum historia tractanda est. Praetermittam reliqua.

XXVII.

Quae quum ita sint, summus artis nostrae princeps, Thucydides, etiamsi nullum in libro eius, iuste ne res an iniuste gestae sint, iudicium reperitur, tamen, ubi eam morum describit commutationem, qua Graeciae flos decidere coepit, gravi indignatione in eam invehitur (III, 82 - 84). At enim acerbissimus est historici dolor, si quem populum, maxime si patriam suam, de gloriae fastigio delabentem conspicit. — Ceterum, quod supra exposui, historici exemplar, ut omnibus, quae et populi et temporis sententiae afferre solent, praeiudicatis liberetur, neque vero frigidus sit erga patriam civesque suos, vixdum ullus, quae est humani generis natura, prorsus assequetur. Item contraria ex parte paucos invenies, qui optimam rempublicam proposuerint, historica illa rerum contemplandarum ratione omnino privatos. Sic apud Platonem praeclara sunt vereque historica, quae de civitatium commutationibus in vulgus nota profitetur. Sic Polybius magnas illas naturae leges, quibus respublicae nascantur, floreant, intereant, ea sagacitate in sexto operis sui libro demonstrat, ut divinitus paene futuros Romanorum casus animo prospexisse videatur. Tum vero Cicero, ut videtur, in praeclaris, quos de republica composuit, libris maxime inesse voluit Romanae reipublicae historiam. — Recentiorum fere omnes, qui ita de civitate gubernanda scripserint, ut magnam sui diuturnamque moverent admirationem, historica operibus suis capita inseruisse, notum est. Contra qui aut nullam prorsus historiae rationem habuerunt, aut eo tantum consilio, ut maiores nostros tanquam immanes barbaros, semet ipsos suosque assectatores tanquam omnis sa-

---

quamvis, si fusius rem tractasset, sine dubio sophisticis erroribus verum plane obscurasset: τοὺς σοφούς τε καὶ ἀγαθοὺς ῥήτορας ταῖς πόλεσι τὰ χρηστὰ ἀντὶ τῶν πονηρῶν δίκαια δοκεῖν εἶναι ποιεῖν. Theaet. p. 167 C.

pientiae plenos describerent, posteritatis mox oblivione extinguentur. Ceterum Ferguson, quum Aristideam vidisset maioris, Pericleam minoris Pittii aetatem, quibus maxime floruisse videtur praestantissima Germanorum respublica, hac patriae suae gloria, quamvis bene eam intellexerit, minime tamen obcaecatus est. Itaque in libro immortali, quem de civilis societatis historia confecit, non fictam proposuit, quae optima sibi videretur, civitatem, sed politicae disciplinae fundamenta egit vere historica. Egregius ille quidem, sed parum a nostratibus perpensus. Apud nos similia de iure cogitasse triumviros illos iuris historiae praeclare conscribendae, iam in vulgus notum est. Eorundem tamen quamvis permulti sint qui in verba iurent, nonnulli, qui magnis illorum operibus additamenta subministraverint, paucos tantum invenies, qui, eadem animi libertate incepta persequentes, qua illi in iure tractando usi fuerint ratione, eandem ad alias disciplinas accommodare conentur. Quorum primum fere gradum magnos aliquot philologos tenere constat, pari diligentia alios veteribus, alios recentioribus linguis operam naventes. Quos equidem, tanquam Georgiae Augustae alumnus, silentio facile praeteribo.

XXVIII.

Aristoteles verus historicus.

Quorum tamen omnium princeps exstitit Aristoteles, qui quum multis rationibus cum sophistis nostris quodammodo coniunctus sit, nonnulla etiam de eo verba adiicienda videntur. Qui quum eo sit ingenio, ut vix dici possit, utrum historica magis, an philosophica laude ornatus fuerit: ab eodem omnia sophistarum studia perfecta sunt. Itaque in poëtica, rhetorica [1], politica artibus, quae sophistae, sibi proposita, nondum assequi potuerant, ipse plane assecutus est, adeo ut primus esset harum artium, politicae imprimis, historicus. De politica igitur quantopere hac ratione meruerit, aliquanto fusius iam pertractabimus. — Ac primum quidem vel Aristoteles interdum de optima loquitur absolutaque republica; at vero semper ea

---

1) Sophistarum locis qui vocantur communibus topica Stagiritae opera quodammodo praeparata esse, ab Hegelio observatum invenio: *Werke* Tom. XIV. p. 12.

circumspectione, ut nusquam fere, quam sibi velit, pro certo et ἀποδεικτικῶς profiteatur [2]). Etenim quaecunque a bona civitate postulat, omnia sunt eiusmodi, ut in diversis et populis et reipublicae administrandae formis aeque reperiri possint. Ita bonam iustamque eam dicit rempublicam, cuius magistratus non suam ipsorum, sed communem omnium utilitatem quaerant (III, 4, 7.); cuius optimi cives sint gubernatores (IV, 5, 10.); quae ad felicem honestamque vitam omnes cives suos perducat (VII, 8, 2.). Tum vero etiam quod dicit, bonam rempublicam non extrinsecus esse, sed per se viribusque suis conservandam (IV, 7, 6.), nec non quales esse debeant magistratuum virtutes (V, 7, 14.), pariter in omnium populorum civitates quadrat. Eadem est vel ceterarum eius definitionum amplitudo: quae quanta sit, eo potissimum apparet, quod plurimae definitiones non solum in Graecorum res, quas ipse iam cognoverat Aristoteles, sed in nostras etiam, quae est mira hominis et divina paene sagacitas, praeclare cadunt. Itaque fere nunquam directe Aristoteles declarat, qualis res quaedam in civitate esse debeat, verum enumeratis omnibus variisque modis, quibus esse soleat, et causas eius et effectus adiungit [3]). Quare iudicia, quae de rerum publicarum constitutionibus ab eo fiunt, semper in brevi quidem, sed praeclara eiusdem reipublicae historia consistunt: quod luculentissime videbis in Solonis legum diiudicatione (II, 9.). Itaque si rempublicam quandam diiudicare vult, eam non comparat cum ficta optimae civitatis, qualem sibi desiderabat, imagine, sed, historia eius enarrata, causas et florentis et lapsae reipublicae nobis demonstrat. In memoria semper habet, aliis hominibus alia et iusta esse et utilia (VI, 1, 11 sqq. V, 7, 14, VI, 1, 6.); quare unaquaeque civitatis gubernandae ratio quibusdam esse possit praestantissima (III, 11, 10.). Etiam voluptatem non omnibus eandem esse, ostendit, sed optimum quemque opti-

2) Pol. II, 1, 1. IV, 1 pr. In posteriore loco, quem laudavi, optimam intelligi vult eam civitatem, quae optimo et maxime florenti populo adaptata sit. Definitio quidem ἱστορικωτάτη! Minus historice de legum optima constitutione loquitur: IV, 6, 3.

3) Quam quidem historicam rei tractandae rationem vel in ea quaestione sequitur, an eadem sit boni hominis, eadem boni civis virtus: III, 2.

mam voluptatem probare (VIII, 2, 6.). Idem bene cognovit, bella civilia eo nasci solere, quod diversi homines, in eadem civitate coniuncti, diversas de iure sententias habeant (V, 1.). — Probe igitur quum intellexisset rerum opinionumque humanarum flumen, eundem fundamentum illud historicum, quo in tanto flumine insistere possimus, non effugit. Semper enim quonam tempore florere soleant respublicae, quam diligentissime considerat. Itaque per totum opus quae laudat et imitanda commendat, omnia in florentibus rebuspublicis invenerat. Cuius rei omnes eius politicorum libri plenissimi sunt: adeo ut singula, quae afferam, exempla vixdum eligenda habeam (Velut IV, 4, 2. IV, 5, 3. IV, 11, 8. VI, 2, 1. IV, 11, 9. IV, 9.). Neque vero aliam in iuris historia rationem sequitur, quippe qui ex diversis hominum de iure sententiis eas ostendat iustissimas esse, quae civitatem conservent (III, 6, 1.). Conservant autem eae tantummodo, quae, florentis reipublicae comites, perniciosas posteriorum temporum opiniones impugnare student. Idem in contrariarum partium de iure certaminibus, si utraque iuste agere sibi videatur, eam dicit veram esse iustitiam, quae utrique parti sit communis (VI, 1, 12.). — Etiam in suo de politicis doctoribus, maxime de Platone, iudicio ea tantum vituperat, quae illi, suae aetatis moribus decepti, commendaverant, quamvis revera labentis essent reipublicae. Sic nimiam reprehendit Platonicae reipublicae unitatem, reprehendit uxorum bonorumque communionem, reprehendit denique, quod mirum fortasse nostratibus videatur, nimiam opificum rusticorumque auctoritatem. — Idem maxime recentioribus tanquam exemplar proponendus est in duarum rerum pertractatione: primum, quod ex naturali hominum statu, qualem ipse sibi fingit, minime conatur decidere, quomodo sui temporis civitates constituendae sint; tum vero, quod in politica sua oeconomia (Pol. I, 3 sqq.) eadem utitur ratione plane historica, ut semper tantummodo res exponat, quales fuerint, sint, futurae sint, neque vero ullam fere adiungit, quales debeant esse, definitionem [4]). De his rebus hactenus. — Ceterum ne tantus

4) Quam equidem modo rem tanquam summam historicamque Aristotelis virtutem collaudavi, eandem magno viro Stahl crimini vertit: l. l. p. 28 sq.

quidem vir ab omnibus tutus erat suae patriae suique temporis praeiudicatis; ideoque res permultas credit, quum Graecis quidem valde essent usitatae, humano generi universo necessarias. Quae tamen nobis longe aliter se habere videntur. Pauca tantum exempla afferam. Populum, censet, nisi magistratuum et eligendorum et rationum ab iis reposcendarum potestas penes eum sit, necessario magistratuum esse servum hostemque (II, 9, 4.). Fieri non posse, dicit, ut, qui arma gerant, iidem legibus obediant, nisi, ad maiorem aetatem provecti, et honorum et iudiciorum certam spem habeant (VII, 8.). Opifices, negat, in bona republica civitate esse donandos, quippe qui nullo modo liberales possint virtutes consequi (III, 3, 2 sqq. VII, 8.). Publica officia omni pecuniae quaestu plane vult liberata (V, 7, 9.). Eum populi numerum postulat, quo cives se invicem bene possint cognoscere (VII, 4, 7.); idemque ubi optimam describit territorii divisionem, facile intelligendum est, ante oculos ei fuisse Graecas civitates, ex una tantum urbe consistentes (VII, 9, 7.). Etiam tria magistratuum genera, qualia Aristoteli videntur ubique necessaria, etsi apud Graecos erant invenienda, apud nos longe aliter constituuntur (IV, 11 pr.). Si Lacedaemonios reprehendit, quod urbis suae moenia non habeant, talis vituperatio in suam quidem aetatem, ubi non amplius praesidio sufficiebant civium pectora, neque vero in priora tempora cadit, ubi hac re quam maxime Lacedaemoniorum virtus eluxerat (VII, 10, 5 sqq.). Servitutem denique et iustam esse et naturalem, censet, ipsis servis plerumque utilem (I, 2. I, 5, 10. VII, 9, 9.): ut enim feminae ratione quidem praeditae sunt, sed irrita et debili, ut pueri imperfecta, ita servi omnino non habent consultandi facultatem. Sunt igitur a dominis suis dirigendi (I, 5, 6.). Quam quidem Aristotelis sententiam, si ad nostra tempora referas, ipsa historia, falsam eam esse, docuit, quamvis aequalibus suis et consentanea et iusta esset 5).

5) Dicit quidem Alcidamas rhetor, Isocratis aequalis, *Ἐλευθέρους ἀφῆκε πάντας ὁ θεός· Οὐδένα δοῦλον ἡ φύσις πεποίηκεν*; sed in declamatione tantum, pro Messeniis habita, hanc sententiam professus est (Arist. Rhet. I, 13. Spengel l. l. p. 175.). Unde igitur vix intelligi potest, quae de servitute omnino senserit. — Laudantur ab Aristotele doctores, qui omnino, servitutem naturalem esse, negabant: sophistae sci-

XXIX.

Σοφίσματα minora.

Iam aliae restant sophistarum sententiae, quae, quamvis arctissime cum tribus principiis, supra expositis, cohaereant, paucis tamen verbis, ut maiorem sophistarum indoli lucem afferant disserendae videntur. Ita, quod Callicles profert (Gorg. p. 491 E sqq.), summam hominis praestantiam in eo positam esse, ut quam plurimas habeat expleatque cupiditates: quomodo a sophista dictam accepimus, vilissima est et paene immanis sententia. Verum in hac quidem ipsa, si recte intelligitur, magnum aliquid veritatis inest. Nam ubique eos, qui ceteris aliqua re praecellant, eadem re desideriis quibusdam stimulari invenies, quae ceteris ignota sint. Sic poëtae, quum poëtica reliquos virtute superent, naturali quadam cupiditate, quae reliquis prorsus deest, ad poëmata componenda adiguntur. Sic philosophi soli philosophandi habent desiderium; magni duces imperandi bellandique. Quin etiam bono viro necessitas quaedam inest, praeclara sua conscientia sustentari: quam necessitatem malorum plerique ignorant. Qui est vita politus, elegantiorum hominum consuetudine supersedere nequit; qui corpore robusto utitur, multas desiderat corporis exercitationes; virili aetati in iisdem fere rebus, quibus pueros vincit, aut novae subnascuntur, aut vehementiores cupiditates. Itaque omnino, ut quisque plurimis praeditus est vel ingenii vel corporis virtutibus, ita plurimis desideriis exagitatur. Quod meum iudicium, totam si historiam perquiras, comprobatum, ut spero, invenies; quamvis nimia saepe cupiditatum vehementia, quae est natura hominum, contrarias eodem tempore opiniones procreaverit. — Etiam Menonis sententia (Meno p. 80 D sq.), qua, homines id tantum quaerere posse, dixit, quod antea iam cognitum habuerint (ut ipse vult Socrates), ubi bonum interpretem invenerit, verissima est, ubi sophistam, nequissima. Ostendit enim philosophus, si Menoni assentiamus, omni nobis rerum inquisitione abstinendum esse, ideoque mol-

---

licet, ni fallor (Pol. I, 2, 3.). Parum autem ab antiquis perpensi esse videntur (cf. Cic. de rep. III, 25.). Sunt apud omnes populos tempora, ubi quaecunqne reipublicae fundamenta in dubitationem vocentur.

lioribus tantummodo placere Menonem. Ipse Platonica recordatione explicandam rem esse censet: Platonice quidem, sed, an vere, nescio. — Notum est denique, de omnibus rebus sophistas in utramque partem disputare solitos fuisse. Quare observandum est, duo omnino hominum genera de eadem re contrarias posse sententias profiteri: sophistarum genus et historicorum. At vero diversi homines si faciunt idem, non est idem. Dum istis nulla est alia causa, nisi quod ipsi neutram sententiam satis perscrutati sunt, historici utramque melius cognoverunt, quam ut, altera obcaecati, relativam alterius veritatem (*die relative Gültigkeit der andern*) negligere possint [1]. — Priusquam autem ad finem disputationis nostrae transeamus, etiam dicendum est, sophistas, quamvis sententiae eorum non plane essent veritate privatae historica, tamen ubi singulas tractarent historiae res, in gravissimos errores incidisse. Ita puerilis paene et vana est Protagorae de sophisticae artis primordiis argumentatio (Prot. p. 316.). Ita quae idem de statu, qui vocatur, hominum naturali docet, tantum absunt ab indole historica, ut cum immanissimis de eadem re nostratium opinionibus comparanda videantur. Rationem vult hominibus eo consilio datam esse, ut contra bestias se defenderent; idemque iustitiam et pudorem multo postea credit a Iove profecta, quia ratio sola nondum suffecerit [1]) (Prot. p. 320 sqq. Cf. de rep. II. p. 358 E sqq.) [3].

---

1) Cf. cap. 14.

2) Similiter alia quaedam eiusdem aetatis opinio sophisticam doctrinam redolet, qua linguam putabant vel a Diis doctam, vel a barbaris traditam esse: Crat. p. 425. — Ceterum de naturali hominum statu similes tum longe lateque disseminatae videntur opiniones; cuius rei testis est Euripides: Suppl. 203 sqq. Cyclops passim. Num forte Pherecratis fabula, Ἄγριοι inscripta, huc referenda est?

3) Etiam Euripides semisophista adeo non potuit se in aliorum temporum quasi mentes insinuare, ut in tragoediis suis nihil fere, nisi homines aetatis suae depingeret. Itaque, ut exemplum afferam, Hippolytum describit adolescentulum pietatis simulatorem, quales suo ipsius tempore permulti exstitisse videntur: Welcker *Mus. Rh.* I, 4. p. 584.

DE ERRORUM SOPHISTICORUM FONTIBUS.

XXX.

Sophistarum mores.

Tandem aliquando ad finem venio, quo demonstrare conabor, qui factum sit, ut sophistae veritatis granum, quod in sententiis eorum inerat, historicae in tantos errores perverterint. Neque vero philosophicam huius rei explicationem suscipiam, quippe quae a RITTERO, BRANDISIO, ceteris magna et doctrinae et acuminis sollertia perfecta esse videatur. Nec deest praeclarus eiusdem rei interpres Aristoteles, magna ubertate omnium paene sophismatum genera exponens: cuius summa fere explicatio in eo posita est, quod, rerum esse, demonstravit, infinitum numerum, verborum, quibus res exprimerentur, finitum (De repr. soph. I, 1.). — Ac primum quidem ostendendum videtur, quales fuerint sophistarum mores; verissimum enim Platonis illud, omnem doctrinam, si a virtute remota sit, non sapientiam esse, sed calliditatem (Menex. p. 246 E.). — Itaque Aristoteles sophistis omnino exprobrat, quod dicendo quidem honesta laudarent, rebus autem gestis utilia [1]). Abiectissimi erant parasiti ditiumque, velut Calliae, adulatores, qui vel ianitores frequentia sua defatigabant (Prot. p. 314 C. Gorg. p. 510.) In vulgus nota est ingens sophistarum arrogantia, qua maxime Hippias adeo intumescebat, ut puerilis plane et ridiculus apud Platonem videatur. Ore utebantur quasi ferreo, quippe quorum nonnulli fere nunquam erubuisse dicerentur (De rep. II. p. 421. Gorg. p. 482 E.). Sophistarum, imprimis Gorgiae, dissolutos fuisse mores, quum perpauca tantum antiquitatis iudicia exstent, equidem neque affirmare possum, neque negare (Cf. GEEL l. l. p. 25. 29. Foss l. l. p. 37 sqq.). Verumtamen satis cognitum habemus, et Gorgiam Hippiamque, et Protagoram usque ad summam senectutem corpore

1) De repr. Soph. I, 12. Dixit quidem Glauco, a nullo unquam sophista iustitiam se audisse propter ipsius iustitiae merita laudatam; quae tamen sententia vix dubito quin dicendi ardore nimis aucta sit: Plat. De rep. II. p. 358 D.

usos esse validissimo [2]). Qua tamen re, severos fuisse sophistarum mores, vix demonstrari potest, quoniam permulti, in libidines effusi, dummodo corpore usi fuerint robusto, neque omni cautione privati sint, bonam valetudinem conservant. — At vero minime dubia videtur exsecrabilis sophistarum avaritia, qua omnem doctrinam suam neque ad animum vere excolendum, neque ad veritatem cognoscendam referrent, sed maxime ad pecuniam sibi comparandam. Itaque, dum prioris temporis philosophi, velut Anaxagoras et Thales (Hipp. Maior. p. 282 sqq. Arist. Pol. I, 4, 5.), adeo negligebant rem pecuniariam, ut ceterorum hac re vituperationem subirent, sophisticam artem Aristophanes Pluti inventum appellat [3]). — Patriae amore, qui quidem summus esse apud Graecos solebat, plurimi sophistarum haud ita magno affecti videntur. Itaque etsi patriae suae interdum negotia curabant, plerumque tamen ad quaestum faciendum per urbes vagati cuiusnam patriae essent, vixdum cognosci poterat. Quorum igitur qualis vera fuerit de patriae amore doctrina, non ex declamationibus eorum, sed ex vita ipsa intelligitur. Neque proximi sophistarum in philosophia colenda aut antecessores, aut successores (Cf. infra cap. 33.), tali ratione abstinebant. Iam Democritus patriae amorem reprehenderat, quia terrarum orbis patria nostra esset (Ritter Tom. I. p. 582.). Postea vero Antisthenes, quum civitatium leges superbe despiceret, eandem, atque Democritus, κοσμοπολιτικὴν videtur sententiam protulisse (Idem Tom. II. p. 121.). Ne Aristippus quidem, sophistarum exemplum imitatus, patriae finibus sese includebat, sed, vitam ut

---

2) Philostr. V. S. p. 494 sq. Diog. IX. p. 251 B. (Pull.). Cf. Brandis *Geschichte der Philosophie*, Tom. I. p. 533 h. Foss l. l. p. 9 sqq. Temperantia se ad talem venisse senectutem, ipse Gorgias apud Stobaeum profitetur: Serm. 99. Idemque moribundus, libenter se mori, affirmat: Stob. Serm. 117.

3) Plut. 160. Vir praestantissimus, Welcker, si avaritiae reprehensione sophistas liberare studet, quippe quorum pauci tantum revera divites facti sint (l. l. p. 28 sqq.), equidem haud scio, an hoc argumento tot optimorum veterum loci refutari possint. A posterioribus quidem quin sophistarum divitiae nimis auctae sint, nemo dubitabit; verum multos reperias avidissimos, qui tamen dissoluto vivendi genere nunquam possunt divitias colligere

degeret commodiorem, peregrinari malebat (Xen. Mem. II, 1, 13.). Cuius familia hanc patriae contemtionem adeo excoluit, ut Theodorus stultissimum esse censeret, pro civibus vitam profundere, quia nunquam sapienti esset pro stultis moriendum (Ritter Tom. II. p. 104.). Quae quum ita sint, cui adeo praestantissimae, quam Graeci habebant, virtutis sensus hebetatus est, is neque beate vivere potest, neque vitam magni porro existimare. Itaque iam Prodicus notus est quantopere docuerit, et vitam contemnendam esse, et mortem laudandam[4]: quae sententia apud posteros adeo increbruit, ut Aristippi assectator, Hegesias Cyrenaeus, Πεισιθάνατος appellaretur. — Protagorae quaenam fuerit, utrum Dii essent, necne, sententia, in vulgus notum est. Cuius vix dubito, quin ceterorum plerique vel hac in re consimiles fuerint.

XXXI.

An veritatis cognoscendae studiosi fuerint sophistae.

Ac ne veritatem quidem aut ipsi cognoscere studebant, aut omnino magni faciebant, quippe quorum studia semper aliud quaererent, vel pecuniae quaestum, vel multitudinis favorem, vel hominum persuasionem. Itaque non suam quisque sententiam docentes, sed populo quidquid placeret, publici quodammodo servi facti sunt (De rep. VI. p. 493 A. Phaedr. p. 260 A. Gorg. p. 481 D.). — In disputando igitur innumeris utebantur artificiis, quae ad veritatem cognoscendam nihil, ad fallendos adversarios et auditores multum conferrent. Perspicuam dialogi continuationem dissertationisque accurationem spernentes, vel mythicis fabulis, vel carminibus interpretandis,

---

4) Eadem fere civibus Prodici, Ceis, fuisse videtur sententia, antiquitus iam tradita (Welcker l. l. p. 614 sqq.). Cuius tamen apud ceteros Graecorum auctores, qui optimo populi sui tempore floruerunt, pauca tantum vestigia reperiuntur (Ibid. p. 619.). Itaque Boeckhii Ritterique iudicium, qui, ne Prodicum quidem mollioris non fuisse animi, censent, a Welckero prorsus refutatum esse, mihi quidem non videtur (Ibid. p. 627). — Ceterum cui non venit in mentem, tragicas Euripidis personas, quum omnes fere sophistarum more se gerant, facile, ubi in malis versentur, ad voluntariam mortem esse paratas?

vel declamationibus sententias suas inserebant [1]); iidem, quoties dialogum instituerent, nullas adversarii, quem ipsi interrogaverant, ἀντερωτήσεις permittebant, quare, quum vera interrogantis opinio semper lateret, ipsa veritas nunquam investigaretur necesse erat (Euthyd. p. 295 B.). Tantum aberat, ut brevia darent aptaque inter se responsa quaerentibus, ut immodicis saepe a proposito digressionibus aberrarent: eo videlicet consilio, ut adversarium, quid sibi opponendum esset, plane fugeret [2]). Definitionum accuratarum, quippe quae sophisticae artis essent quasi compedes, amatores non erant, ut ex Hippia Gorgiaque Platonicis facile intelligas (veluti Gorg. p. 462. 466 A.); eorumque nonnullae commemorantur subtiliores, quam veriores [3]). Ne vilissimae quidem astutiae, ubi in angustiis haererent, respuendae videbantur, ne, ad concedendum compulsos se esse, faterentur [4]). Quodsi aliud nihil porro agere possent, ad verborum tandem iniurias confugiebant (Prot. p. 334 et passim. De rep. I. p. 337 D. 341 B. Gorg. p. 448 B. 461 C. 467 B. 473 E.). — Itaque, quum omnes fere, qui maiorem philosophiae laudem assecuti sunt, philosophiam omnis doctrinae fundamentum esse uberrimumque veritatis fontem, arbitrarentur: sophistae eiusmodi nihil arti suae proponebant. Ad vitae civilis usum praeparare volebant auditores [5]); nec

---

1) Quanto hac in re veritatis cognoscendae studio sophistae duci solerent, clarissime ex Simonidis carmine intelligitur, quod Protagoras in arena collocat. Contradictio enim, cuius poëtam incusat, quamvis facile possit Socratem conturbare, ad ipsam rem, quae disputationi erat proposita, nullius plane esse potest momenti: Prot. p. 339. Iustissima est igitur Platonis reprehensio, qua indoctorum esse, dicit, in disputando carminum auxilia implorare: Prot. p. 347 C. Cf. praeclaram declamationum apud Platonem censuram: Ibid. p. 329 A.

2) Veluti Prot. p. 316. 334. 350. Gorg. p. 448 C. Cf. iustissimum hac de re Alcibiadis iudicium: Prot. p. 336 C. Quam longe imprimis Gorgias dicendi argumenta repetierit, et alienissima orationibus suis inseruerit, exempla quaedam videas apud Fossium l. l. p. 48 sq.

3) Meno p. 76. Attamen praeclarum superest Gorgiae apophthegma, in malarum definitionum auctores editum: Arist. Pol. III, 1, 9.

4) Ita concesserunt: κατὰ τὸν σὸν λόγον (De rep. I. p. 354 A.), οὐ πάνυ οὕτως, οὐ μέν τοι οὐδὲ αὖ ὡς σύ μοι δοκεῖς οἴεσθαι· (Prot. p. 331 E.) εἰ γὰρ βούλει, ἔστω ἡμῖν κ. τ. λ. (Ibid. p. 331 C.).

5) Meno p. 71 sqq. Hipp. Minor. p. 368. Eloquentiam igitur Gorgias

Hippias quidem, etsi geometria, arithmetica, astronomia praecellebat, plura discipulos suos docuisse videtur, quam ipsius vitae usus posceret. Eadem fere de his artibus Socratis erat sententia [6]); magnopere autem a Socratica doctrina abhorruisse constat sophistas, si de omnibus doctrinae generibus, ne philosophia quidem excepta, invicem se hortarentur, ne quis nimium disceret [7]). Unde factum est, ut philosophiam tractarent non sua ipsius causa, verum ut orationis sollertiam philosophice disputando sibi compararent. Ideoque, quoniam iuventutis esse videtur, permultas res discere, virilis aetatis, quas didicerit, ad vitae usum adhibere, sophistae philosophiam arbitrabantur solis adolescentulis convenire: de qua re plane contrarium novimus Platonis iudicium (Gorg. p. 485 A. De rep. VII. p. 539 A.). — Quare in vanum linguarum certamen philosophia corrupta est. Iam Protagoras in locis, quos composuit, communibus declamationes praebuit, quas quum unicuique causae aptas esse vellet, eaedem animi ardore neque excogitatae esse neque scriptae poterant (Foss l. l. p. 43.). Postea autem eo corruptionis sophistarum declamationes adductae sunt, ut salis collaudatio apud Platonem [8]), murium apud Aristotelem, ollarum apud Menandrum Rhetorem commemoretur. — Neque vero, sola tantum pecuniae vel gloriolae cupiditate sophistas commotos esse, censeas. Qui et ipsi mihi quidem intestino quodam pectoris stimulo agitati esse videntur, quem praeclare cum vero philosophandi desiderio comparat

omnium artium principem esse dictitabat, quippe quae sponte, non vi, hominum animos sibi subiiceret: Phileb. p. 58 A. Gorg. p. 451 sqq. In Gorgiam, ni fallor, dictum est praeclarum illud Agidis Lacedaemonii: Plut. Apophth. Lac. Tom. II. p. 116. (Tauchn.).

6) Xen. Mem. I, 2, 59. IV, 1, 2. Qua quidem Socratis sententia postea Galenus se defendere voluit, inviti, ni fallor: Ritter Tom. IV. p. 269.

7) Gorg. p. 487. Quis dubitabit, si talis fuerit vel commodioris vitae desiderio, vel intimo quodam animi sensu sophistarum voluntas, quippe qui nihilo secius, omnia se scire, saepe gloriarentur, quin ita exorta sit levis illa multarum rerum cognitio, quam ipsa ignorantia multo perniciosiorem esse, Plato ostendit: De legg. VII. p. 819 A. Scilicet longe alia res est, si ipse Socrates putavit, non esse eum Diis gratum, qui investigaret, quae illi patefieri noluissent: Xen. Mem. IV, 7, 6.

8) Conf. p. 177. Similia vel apud Romanorum labentis aetatis rhetores inveniuntur, maxime apud Frontonem.

SCHLEIERMACHER [9]). Causam igitur, cur a veritate adeo desciverint, eam fuisse dicit Aristoteles, quod sapientes videri et non esse maluerint, quam esse et non videri (De repr. soph. I, 2, 10.). Neque ullus eorum, quum veritatem omnino reperiendam esse negarent, vera hanc ob rem tristitia affectus videtur: quod eo gravius mirandum est, quia permulti anterioris temporis philosophi, quum ardentissimo suo veritatis cognoscendae studio non prorsus satisfecissent, magnopere conquesti sunt de tali hominum conditione [10]). Hoc verorum philosophorum studium quantopere discrepat a sophistarum torpore!

XXXII.

Sophisticorum errorum fontes.

Quae quum ita sese habeant, iam facilius erit, quomodo sophistarum errores fieri potuerint, explicatu. Ac primum quidem de **iustitia** dicam. Itaque sophistae quum, patriae amore, Deorum verecundia, reverentia hominum plane carentes, omnia ad suam ipsorum vel utilitatem vel gloriolam referrent, vixdum fieri potuit, quin factorum consiliorumque conscientiam paene nullam haberent [1]). Qua tamen, Aristoteles docet, maxime a bestiis homines differre (Pol. I, 1, 11.). Itaque quia intestinus ipsisque sufficiens boni malique iudex iis deerat, si omnino de bono malove iudicare voluerunt, ad externa iustitiae instituta, ad leges moresque populorum confugiendum erat. Tum vero quo vivebant tempore, ut iam supra demonstravimus, priscae Graecorum leges priscique mores labefactari coepta erant, adeo ut vixdum inveniri tunc posset, quod inter diver-

---

9) *Philosophischer Trieb — sophistischer Kitzel. Platons Werke.* Tom. I. P. 2. p. 88.

10) De Xenophane: RITTER Tom. I. p. 461; de Parmenide: ibid. p. 486; de Empedocle: ibid. p. 512.

1) Itaque Thrasymachus in famosa ista iniustitiae collaudatione, quum permulta dissereret de populorum legibus, ne uno quidem verbo, qui in singulis innatus est, boni malique sensum attingit. Ipsaque conscientia quam plane ignota sophistis fuerit, ex eo facile intelliges, quod saepissime, ubi de moribus disputandum esset, ex bestiarum vita moribusque argumenta sua petebant: De rep. I. p. 343. Cf. praeclaram Aristophanis dubitationem: Nubes 1424 sqq.

sarum partium certamina, uno omnium consensu iustum esse videretur. Quam sententiam si fusius tractare vellem, non adnotatio mihi, sed libellus esset scribendus. Ceterum iam Aristoteles observat, prima quasi artis sophisticae semina eo tempore apud Siculos enata esse, *quo sublatis tyrannis res privatae longo intervallo iudiciis repeterentur* (Cic. Brut. 12.) 2). Quo accedit, ut ipsa itinera, quibus per omnes Graecorum urbes moribus legibusque diversissimas vagabantur, sophistarum animos magis magisque ad diversas hominum de iure sententias advertere necesse esset. Verumtamen hanc observationem historice excolere non potuerunt: namque deerat diligentia, qua discere potuissent, quomodo ipsa iustitia, ut alia aliis temporibus iusta viderentur, posset desiderare. Deerat maxime integritas morum, qua nemo potest minus egere, quam historicus. Ita factum est, ut primum sophistae omnia, quae fierent, iusta esse censerent: — fiunt autem, quaecunque placent fortiori — tum vero, ut iustitiae notionem vanam omnino et fallacem esse arbitrarentur. — Iam superiore capite demonstratum est, sophistas, verumne cognoscerent annon, nihil pensi habuisse. Disputationes igitur non veritatis causa instituebant, sed eo tantum consilio, ut, ceteros vel refutando vel adulando, gloriam quaestumque sibi facerent. Ideoque coram aliis aliae iis sententiae erant defendendae, neque ullam habebant, quam per totam vitam firmiter sustinerent. Quae quum ita sint, facillime fit, quae est humani generis natura, ut vitia homines, quibus ipsi laborant, tanquam necessarias res mi-

---

2) Hoc meum iudicium quamvis repugnare videatur ei, quod supra (cap. 12.) de stabilita Atheniensium populari civitate exposui, tamen si quis diligenter velit rem perpendere, utramque sententiam minime inter se discrepare inveniet. — Ceterum si accuratius perlegimus notam Calliclis argumentationem, alia res nobis occurret, quae commemoretur haud indigna. Quaecunque sophista de naturali inter paucos fortiores pluresque debiliores certamine docet, a popularium rerum publicarum, qualis tunc erat, conditione ad verum depicta esse videntur. Neque vero in alia tempora eadem Calliclis sententia quadrat. Adeo insita est hominibus consuetudo, quae apud semet ipsos reperiant, omnium communia esse, credendi, ut ne sophistae quidem, consuetudinis aspernatores, eadem liberi esse potuerint.

nimeque vituperandas sibi fingant. Argumenta, quae a talibus proferuntur, opinionis suae non deductiones sunt et principia, sed excusationes. Itaque sophistae, quum ipsi nollent ad veritatem accommodate dicere, argumentis demonstrare conati sunt, aut omnia, quae dici possent, aut nihil omnino verum esse. Quos egregie Plato per frequentem ipsorum in rebus investigandis revolutionem in magnam cerebri quasi vertiginem incidisse dicit, qua factum sit, ut res ipsae vacillare iis viderentur [3]). Ut Iridis pater Thaumas est, ita vertiginosa illa, quam hominum doctrina fragilis sit, miratio eorum, qui vere praediti sunt philosophica vel historica indole, ad philosophiam esse solet vel ad historiam gubernatrix (Theaet. p. 155 D.). Sophistas quidem, quum in medio quasi positi essent inter historicum et philosophum, eadem miratio ad perversissimos errores perduceret oportuit [4]) [5]).

---

3) Crat. p. 411 B. 439 C. Non res, ut alio loco ostendit, rheumatismo laborant perpetuo, sed ipsi homines, qui talia docent: Crat. p. 440 C.

4) Egregie Plato multorum adolescentulorum describit conditionem, qui, quum primis labris variarum rerum scientiam degustassent, vel doctrinae suae male concoctae arrogantia efflati, vel decepti verborum diversitate, sophistarum fieri solerent assectatores: Phil. p. 15 D. Phaedo p. 90 B.

5) Prodicus Ceus egregium nostra aetate defensorem nactus est Welckerum. Haud dubiis, ut mihi videtur, vir praestantissimus argumentis docuit, minus vagam Prodicum vitam degisse (p. 9.) eundemque omnino meliorem, quam ceteros sophistas, doctrinam professum esse. Itaque laudator fuit piae iustaeque agrorum culturae (p. 607.); animos immortales esse et Deos vivere defendit (p. 608 sqq. 633 sqq.); pecuniam per se indifferentem esse, et usu demum aut bonam fieri aut malam, voluit (Eryxias 17.). Ceterum, ut fieri solet, quum nimiae Prodici reprehensiones Welckero refutandae essent, haud scio, an viri doctissimi paullo nimia sit defensio. Apud Platonem, aegre negabit, ludibrio saepius Prodicum haberi; neque vero iniuria videntur, quas Prodico philosophus tribuit, nimiae verborum distinctiones vituperari. Ex Cratylo cognitum habemus, quantae eodem tempore in etymologia nugae prolatae sint. Num forte Ceus noster similia prodidit? Certe, quod Socrates dixit, se Prodico eos tradere, qui fictae graviditatis auxilium peterent, quum revera gravidi a semet ipso curarentur: mihi quidem nullo modo dubium videtur, quin acerba esset sophistae vituperatio: Theaet. p. 151 B.

ΕΠΙΜΥΘΙΟΝ.

XXXIII.

Finis.

Iam supra commemoratum est (cap. 4.) omnibusque notum, sophistas et Eleatium et Ionicorum, maxime Heracliti, quodammodo discipulos fuisse (Soph. p. 241. 248 sqq.). Etiam Empedoclem, Siculorum facile arrogantissimum, Gorgias audivisse traditur (Foss l. l. p. 13 sqq.). Neque vero negari potest, pantheisticam, ut verbo utar, illorum doctrinam, si inexorabili premetur diligentia, vixdum sophisticos posse errores effugere [1]). Tum vero mater quasi sophistarum fuisse videtur atomistica doctrina, a Democrito maxime exculta, quare Democritus, quum eiusdem urbis esset, Protagorae saepius magister commemoratur. Atomisticam doctrinam permulta sophistarum praecepta redolent [2]), maxime quae de iure moribusque docuerunt (De legg. X. p. 891 C.). Tales sententiae si in eundem confluunt, vix fieri potest, quin sophista exsistat. — Ceteroquin iam Zeno, qui inter ultimos laudatur Eleatium philosophos, haud iniuria potest semisophista nominari (Ritter Tom. I. p. 488.). Etenim, ut pauca tantum commemorem, quum primus esset dialogorum philosophicorum auctor, sophistarum more pecuniam a discipulis accipiebat (Diog. III, 47. Alcib. I. p. 119 A.); atque adeo flagrabat nimio alios refutandi ardore, ut adversarios, quos refutatos iam haberet, libro insuper peculiari, facetiarum pleno, perstringeret [3]). Idem, teste Isocrate, eandem rem defendit fieri et posse et non posse. — Priores autem sophistae quum rhetoricam artem pariter atque philosophiam tractarent, postea, qui eorum in locum quodammodo successe-

1) Cf. Ed. Schmidt: *Ueber das Absolute und das Bedingte* (1833). p. 73 sqq.

2) Soph. p. 247: ubi facile quisquis intelliget, atomistas dici *Σπαρτῶν αὐτοχθόνων* et *γηγενῶν* appellatione.

3) Parm. p. 128 C. Itaque in proverbium fere venit laus Zenonis: *δικάζεσθαι μόνον ῥήτωρ* (Spengel l. l. p. 122.). Ceterum egregie a Rittero observatum est, tres Gorgiae apud Aristotelem disputationes, quum in secunda ac tertia denuo refutetur, quod in primo iam esset refutatum, eo videlicet consilio scriptas esse, ut dialecticam suam auctor sollertiam proderet: Tom. I. p. 596.

runt, in diversas partes digressi sunt. Alii enim, quorum Isocrates et Alcidamas principes laudantur, solam rhetoricam artem exercendam sibi proposuerunt; alii, maxime Aristippus, Antisthenes [4]) ceterique, qui sophismata non prorsus deserebant, Socratici, soli se philosophiae studio dederunt. Minores contra, qui eadem atque Protagoras via procedere voluerunt, quum opportunum iam huius rei gerendae tempus effluxisset, in magnam omnibus contemtionem venerunt: cuius optima testimonia sunt, quas Isocrates et Alcidamas in eos composuere, obiurgationes. — Iam supra demonstrare conatus sum, omnes fere res, quas sophistae aggressi quidem, neque vero assecuti sint, ab Aristotele, quippe qui historiam pari virtute atque philosophiam tractaverit, absolutas esse praestantissime. At vero eodem tempore, quo sophistae sua ipsorum culpa neque historiae poterant neque philosophiae veram laudem consequi, duo exstiterunt viri, Socrates atque Thucydides, qui, quum, sapienter de ingenio suo iudicantes, alter in alterum studium solum se converterent, facile historiae et philosophiae principes facti sunt. Qui quam multis in rebus sophistarum haud dissimiles fuerint, quam multis contra longe ab eorum consuetudine abhorruerint, adeo est operae pretium describere, ut vix in tota historia argumentum invenias praestantius. Huic quidem dissertationi tanta suscipere non convenit. — Ceterum, quam facile quis cum sophistis confundere potuerit Socratem, testis videtur Anytus, philosophi accusator, qui semper notus erat acerbissimus sophistarum adversarius [5]). Neque F. A. Wolfii coniectura prorsus reiicienda videtur, qui priore tempore alium fuisse credit Socratem, alium posteriore, ita ut iuvenis fortasse haud immerito ab Aristophane cum sophistis confusus sit (*Praef. ad Nubes* p. X sqq.). Attamen contraria ex parte, si quis rem poterit a specie discernere, is profecto in Socrate infuisse quidem dicet sophistarum virtutes, non infuisse eorundem vitia. Dum isti per ludum modo philosophiam colebant, ipsius nota est mens in philosophando adeo

4) Cf. Ritter l. l. Tom. II. p. 87. 97. 113. 124. Schleiermacher *Introd. in Theaetetum* p. 182 sqq.

5) Meno p. 91 sqq. Ex ipso Platone per ambages intelligitur, Socratem tanquam sophistam supplicio esse affectum: Polit. p. 299.

incitata, ut divino quodam furore tactus esse videretur (Conv. p. 175. 220.). Dum isti suam tantum gloriam, non veritatem quaerebant, Socrates, si modo verum cognoscere posset, nihil plane curabat, vinceretne ipse an vinceretur (Phaedo p. 91 C. Phil. p. 14. Hipp. Minor p. 369.). Ea Socrates utebatur animi simplicitate, ut ab urbe sua, nisi bello pugnandum erat, nunquam fere abesset [6]). Quanto patriae amore quantaque legum reverentia fuerit, iam eo probavit, quod legitimam poenam, quamvis iniusta esset, effugere noluit: quippe qui divinas Plutonis leges sorores esse arbitraretur humanarum [7]). Tantum aberat, ut sophistica impudentia patrios Deos aspernaretur, ut audaciora de illis iudicia eo reiiceret, quod hominum ignorantiae talia essent remotiora (Phaedr. p. 229.). Minime vero iis Socrates accedit, qui sophistico more in ethica doctrina excolenda ab animalibus argumenta sua petunt: quam argumentandi rationem salso potius deridet [8]). Quin etiam, quod recentiori mirum fortasse videatur, locorum amoenitates, quas ipse perquireret, vix dignas habuit. Nam discendi se cupidum esse, dixit, quare nec agri possent, nec arbores ullum se docere, sed homines soli, qui in urbe versarentur (Phaedr. p. 230 D.). Nec quisquam potest brevibus verbis elegantius laudare Socratem, quam divinus fecit ipsius auditor. Is enim cum oloribus illum comparat, Apollinis per totam vitam ministris: qui, quum vel antea egregie semper cantaverint, tamen morituri, praesagientes videlicet, qualia sint apud inferos bona semet ipsos mansura, cantus prodant longe praestantissimos (Phaedo p. 84 E.). — Thucydidis autem si quis velit praedicare virtutem, vixdum potest aliis verbis uti praeter quae ipse praefationis suae in fine collocavit: „Quicunque volent et res gestas clare intelligere et quae iterum secundum humani ge-

---

6) Crito p. 52 B. Phaedr. p. 230 C. Meno p. 80 B. Idem fere Kantii nostri institutum fuisse, constat.

7) Crito p. 50 sqq. p. 54 C. Cf. De legg. VI. p. 762 E. XII. p. 957 C. Ceterum quanta fortitudine officia sua, patriae civibusque debita, conservaverit, in vulgus notum est: Xen. Mem. I, 1, 18. IV, 4, 1 sqq.

8) Phil. p. 67 B. Quae quidem sententia Socratis propria esse videtur, nec diligentissime a Platone ipso observata, quippe qui sophistico illo vitio haud prorsus liber sit: De rep. V. p. 459. Aristoteles contra diligenter hac in re Socratis iudicium secutus est: Pol. II, 2, 15.

neris naturam vel eaedem vel consimiles futurae sunt, iis utilem probari librum meum, sufficiet[9]: κτῆμά τε ἐς ἀεὶ μᾶλλον ἢ ἀγώνισμα ἐς τὸ παραχρῆμα ἀκούειν σύγκειται (I, 22.)." Ipse quum promissi sui divino fere ingenio summam compleverit, etiam praemium, quod sibi desideraverat, in aeternum tempus consecutus est. — Nostra quoque aetas, quum vel aliis nonnullis rebus haud dissimilis sit Socraticae, ingentem sophistarum turbam procreasse videtur[10]. Verumtamen ne in his quidem, quamvis nihil firmi habeant, nihil certi, prorsus desunt verae historiae semina pauca: quae ipsi quidem quominus excolant, aut studiorum levitate, aut morum pravitate impediuntur. Quae quum ita sint, quid nobis supererit, nisi ad historiam bene excolendam refugium? Praeclare Cervantes, historiam, ait, matrem esse veritatis. —

9) Equidem cur hanc potissimum loci nostri versionem praebuerim, quum maiori recentiorum parti et ipsi Luciano alia esset accepta, quia solis grammaticae rationibus satis defendi nequit, hoc loco fusius tractandi non est otium. Ceterum et Bredovii Popponisque, ni fallor, et magna F. A. Wolfii auctoritate nixus sum.

10) Iam priore tempore qui Gallicam encyclopaediam composuerunt, sophistarum nomine a multis denotati sunt; primo, ni fallor, a Klopstockio nostro, in libro, quem scripsit de republica doctorum: praeclaro illo quidem opere, sed parum, ut videtur, a nostratibus celebrato. Cf. Heerenii *Staatensystem* II, C, I, 1. §. 6. §. 69.